

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Liber vigesimusprimus, De iustificatione peccatoris

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-885)

TOMI TERTII

Pars altera.

LIBER VIGESIMVS PRIMVS,

Qui

DE IUSTIFICATIONE
PECCATORIS.

QVOD SIT.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS.



ONGO labore defuncti sumus Controversiarum de sanctificatione: nunc tandem ille alter suscipiendus, quem polliciti sumus, de Iustificatione: huc usque dilatus ex ingenio Papisticarum disputationum: cui nos necesse fuit satisfacere: nam ex veræ Theologiæ methodo præmissum oportuit, ut præmonuisse meminimus.

II. Acturus de Iustificatione, tria distinguiam capita: vnum, quid sit ipsa, siue quæ eius materia, quæ forma: alterum, de sola fide, eius instrumento: tertium, de remissione peccatorum.

III. De primo capite disputantes habui nostros: Calvinum, Institutionis libri 3. capit. 11. & sequentibus: item Antidoto ad sessionem 6. Tridentinam: Melancthonem in locis Communibus: Martyrem, Locorum Communium Classis 3. capit. 4. Bucerum præfatione in Euangelium Ioannis, & in Constanti defensione, à capit. 12. ad vsque 16. Wolffgangum Musculum in Locis Communibus: Chemnitium Examinis Tridentini parte prima in sessionem 6. Sadelem contra Burdigalenses articulo 40. & sequentibus. Polanum, Syntagmatis libri 6. capit. 36. Ioannem Spinam de iustitia Christiana: Piscatorem de iustificatione contra Bellarminum. Paræum contra eundem: & in 3. ad Romanos. Ioann. Scharpium tractatu de Iustificatione: Christophorum Pezelium Obiectionum & responsum Philipp. parte 4.

IV. Aduerarios, Gropperum in Enchiridio Colonienfi capite de iustificatione hominis. Cunerum Petri de grauissimis Theologiæ Christianæ controversiis tract. 6. Hofsum Confessionis cap. 71. Antonium Delphinum de Salutari progressu libr. 5. Dominicum Soto de natura & gratia libr. 2. Albertum Pighium controversia 2. Franciscum Sonnium demonstration. tractatu 2. c. 7. & sequentibus. Contarenum Cardinalem de iustificatione. Franciscum Horantium Locorum Catholicorum libri 1. cap. 59. & deinceps: Michaelem Bayum de iustitia & iustificatione libr. 2. Dauentriam & Hoffmeisterum; ad Augustinæ Confessionis articulo 4. Tapperum, explicatione articulo 8. Viruesium Philippicis, 4. 5. 6. 7. & 8. Bunderium tit. 3. Vafquen disputatione 292. in primam secundam: Conradum Klingium Locorum Communium libro 2. capitibus 25. & 26. Feuardentium Atheomachia libr. 8. cap. 4. controversiæ generalis 3. controversiæ 2. libr. 1. Costerum Enchiridij capit. 6. Andradium Orthodoxarum explicationum libro 6. Gregorium de Valentia libr. de diuina gratia, cap. 3. 4. 5. Martinum Beccanum tomi 1. opuscul. 4. & 5. Salmeronem disputationum in Epistolas Pauli libr. 2. tractat. 9. & ad Galatas disp. 7. 10. 11. Sanderum de Iustificatione, libr. 5. & 6. Lorichium in fortalio, cap. de Iustificatione.

V. Catholicorum sententiam expressit Confessionis Gallicæ articulus 18. *Credimus totam nostram iustitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, qua sit etiam, ut restatur Dauid, vnica nostra felicitas. Itaque ceteras omnes rationes, quibus homines existimarunt se coram Deo posse iustificari, plane reudiamus: omnique virtutum & meritorum opinione abiecta, in sola Christi obedientia prorsus acquiescimus: qua quidem nobis imputatur, tum ut regantur omnia nostra peccata, tum etiam, ut gratiam coram Deo nanciscamur. Denique credimus non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire ubi conquiescamus, sed potius inquietos semper fore: quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certo nobis sit persuasum, nos in Iesu Christo diligi, quoniam in nobis ipsis omni odio digni sumus. Huc pertinet pars articulo 22. Ceterum, quamuis Deus, ut nos plane seruet, regeneret nos, & ad sanctam vitam formet: tamen profiteamur bona opera, qua duce ipsius Spiritu eamur, non respici à Deo, ut per ea iustificemur, aut filij Dei censeri mereamur: quoniam perpetua dubitatione & trepidatione fluctuaremus nisi vnica illa satisfactione videremur, per quam nos omni noxa Iesus Christus exemit.*

VI. Hæc summa est: quam distinctius explico. Materiam huius iustitiæ esse, quæcumque pro nobis Christus & fecit, & passus est: nempe tum perfectam illam iustitiam, quam patri suo præstitit, ad amissim respondendam præscripto perfectissimæ legis, sub qua eum fuisse factum pronuntiat

Paulus ad Galatas 4. quæque iubet & nihil omnino vitij admitti, & nihil virtutis omitti: tum immanes illas pœnas, quas non suo (erat enim peccati prorsus & pœnæ nulli obnoxius) sed nostro perfoluit nomine, cum tota vita, tum præcipue in horrenda cruce, propter quam dicitur factus *reus*, ad Galatas 3. factus peccatum, posterioris ad Corinthios 5.

VII. Hanc materiam, neque à nobis esse, tanquam opera; cum sit Christi: neque nobis hæere, tanquam qualitatem, siue vllum habitum insitum, sed in Christo ipso, vnde fieri non potest ut egrediatur, tanquam à proprio subiecto: quomodo niuis candor, non potest esse in lana. Quare, hoc quicquid est iustitiæ propriæ, si quid profuit, vni Christo prodesse debuit, ex præscripto legis, cuius axioma certum, *Hoc fac, & viues*: Sicut contra, *Anima, qua peccauerit, ipsa morietur*. Nobis autem non magis potuit, quam Ismaeli, quicquid boni gestum est à patre Abrahamo, aut fratre Isaaco.

VIII. Verumtamen ab eo legis rigore transfudit nos Deus in suæ misericordiæ gratiam: qua factum, ut qui propria non poteramus, iuuaemur aliena iustitia. Quemadmodum & inter homines, crebro Rex in gratiam admittit perduellem, propter patris cuius boni *κατορθώματα*: & vulgo, quod æs à vade numeratur, nomen expungit debitoris, qui tamen de suo, non de alieno debuit soluere. Hoc autem cum sit, dicuntur illa patris *κατορθώματα*, dicitur hoc æs vadis, imputari filio, imputari debitori: hoc est, haud aliter admitti, quam si filij illa essent propria, hoc debitoris.

IX. Atque adeo hinc origo metaphoræ in hac nostra disputatione: qua exprimitur forma nostræ iustitiæ, quam quærimus: id est, ratio qua fiat, ut quæ iustitia, quæque pœna nostra non est, tamen nobis haud secus proficit ad salutem, quam si eodem iure nostra esset, quo fuit Christi. Nam & solennis formula est, quæ debitum appellet obedientiam: & cum hæc abest, inobedienciæ pœnas: vnde Christo nonnullæ parabolæ omnibus notæ. Nostram ergo dicimus fieri Christi obedientiam, nostras eius pœnas, perimputatorem: quomodo Paulus volebat sua fieri peccata Onesimi: ad Philemonem. *Si quid te lesit, aut debet hoc mihi &c.* imputato: ego Paulus scripsi *mea manu: ego dependam.*

X. Hanc iustitiæ Christi imputationem, censemus appellari Iustificationem. Vocabulo nusquam in vsu, præter sacros autores, ut bene notatur Costerus, ac Salmero. Illi mutuo sumpserunt à foro Hebræorum: qui eum iustificari dicebant, quem sententia iudicis absoluebat. *Esaiæ 9. Dant testes, & iustificabuntur. Matthæi 12. Ex sermonibus tuis iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.* Iustificantur autem vel fontes, vel insontes: Hi secundum legem, illi præter legem. Itaque Salomon, prior. Regum 8. postulat à Deo, ut damnet improbum, retribuaturque ei vias eius: & iustificet iustum, retribuaturque ei secundum iustitiam eius. Et prouerbiorum 17. *Iustificans, inquit, improbum, & damnans iustum, abominatio est apud Deum: vterque.*

XI. Sed esse ab eo foro, ad hoc mysterium salutis humanæ, mutuam phrasim, apparet ex 8. ad Romanos. *Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est: imo vero qui excitatus est: qui etiam interpellat pro nobis.* Nam quis non videt de industria Paulum vlturpasse eas formulas, ut oculos viuam imaginem representaret humanæ iurisdictionis: vbi est reus, accusator, aduocatus, iudex: atque inde litis exitus, iustificatio, opposita condemnationi?

XII. Hæc Catholicorum sententia. In qua notandum, iustitiæ nomine intelligi veram ac propriam causam, propter quam homo dici possit iustus coram Deo. Hoc enim monitum oportuit, à Bellarmino repetitum, cedente hoc ipsum nunc agi, ac disputari. Et hoc sensu dictum in Confessione, totam nostram iustitiam in eo positam. Non quod alioquin non agnoscamus aliquam esse iustitiam nostram, quæ et si à Christo, tamen sit in nobis nec sit ipsius Christi: nempe eam, quæ in sanctificatione consistit, de qua prolixè disputatum est: per quam etiam suo modo iusti sanctique dicamur, sed quia hæc ipsa sanctificatio, propter imperfectionem suam, iustitiæ locum obtinere non possit apud Deum. Quam distinctionem, cum vel non viderent,

reant,

ferat, vel certe videre nollent aduersarij, calumniis infamibus indulserunt; quasi funditus omnem tolleremus iustitiam inhaerentem: qua de re suo loco disputatum est.

XIII. Papistæ non omnes eodem modo aut sentiunt, aut loquuntur. Sunt enim, qui non procul abeant à Catholicorum ea quam diximus sententia: sicut contra, qui dicitur *2. g. 2. d. 2.*

XIV. Pighius, ipsam in se iustificationem dum considerat, diserte pronuntiat, totam consistere in iustitia, non nostra, sed Christi nobis imputata. *Iustificat, inquit, nos Deus Pater bonitate sua gratuita, qua nos in Christo complectitur, dum eisdem insertos, innocentia & iustitia Christi nos induit.* Et iterum, *In Christi obedientia, quod nostra collocatur iustitia, inde est, quod nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur, ita ut ea ipsa etiam nos iusti habeamur: & velut ille quondam Iacob, quum natiuitate primogenitus non esset, sub habitu fratris occultatus, atque eius veste indutus, qua odorem optimum spirabat, seipsum insinuauit Patri, ut sub aliena persona benedictionem primogenitura acciperet: ita & nos sub Christi primogeniti fratris nostri pretiose puritate delitescere, bono eius odore fragrare, eius perfectione virtutis nostrae sepeliri, & obtegi, atque ita nos piissimo patri ingemere, & iustitia benedictionem ab eodem assequamur, necesse est.*

XV. Quibus, atque alijs plurimis verbis (nam in ea re prolixus est, & quidem reliquos Papistas, et non nominatim, suggillans, hanc partem obscurantes potius, quam illustrantes: quanquam alioqui sic doceri affirmans in Ecclesia Catholica:) his, inquam verbis nostra prorsus delineatur sententia: quam ob causam vapulauit Tappero, Bellarmino, Salmeroni, alijs. Eo tantum Papistam agens, quod, cum inquit, quo pacto nobis dispositis, quidve facientibus operetur vis illa passionis Christi, tum vero non fidem solam, sed etiam comprehendat opera: atque hoc demum capite separatur à nobis apud Bellarminum.

XVI. Conradus Klingius accessit magis ad nos. Distinguit iustificationem primam, siue imputatiuam; & secundam, siue actiuam, sic enim appellat. Vtramque haberi à nobis per Christum, sed illam totam in Christo esse, sic offerente se Patri, ut eius iustitia nobis imputetur, & peccata propter ipsam remittantur. Secundam, tam haberi, cum idem replet nos omnibus gratiis, & fructibus, donis, ac virtutibus Spiritus sancti: per quæ dona nos etiam intrinsece, & realiter faciat magis iustos: quia sic vitia purgantur, nouaque vitia acquiruntur. Quid plura? *Fides, inquit, solum apprehendit & retinet iustitiã imputatiuam.* Hæc ille. Muta iustificationem imputatiuam, & iustificationem actiuam, in iustificationem, & sanctificationem, habebis nostram puram putam Confessionem. Nam vocabulis cur hæcæamus mordicus? Esset id superfluitioforum, aut dicitur, & contentioforum.

XVII. Contareus Cardinalis geminam nostram statuit iustitiam; ad quam pertinemus per fidem: alteram inhaerentem, charitatem; ac gratiam, qua efficiuntur diuinæ confortes naturæ: alteram imputatam; iustitiam Christi nobis donatam. Tum quærenti, utri nobis sit innitendum; vt aue existimandum nos iustificari coram Deo, id est, sanctos, & iustos haberi; responder, *Ego prorsus existimo pie & Christiane dici, quod debeamus nisi: nisi, inquam, tanquam re stabili, qua certo nos sustentat, iustitia Christi nobis donata, non autem sanctitate, & gratia nobis inhaerente.* Hæc etenim nostra iustitia est inchoata, & imperfecta, qua tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assidue peccemus, ac propterea indigeamus oratione, qua quotidie petamus dimitti nobis debita nostra. *Iccirco in conspectu Dei non possumus ob hanc iustitiam nostram haberi iusti & boni, quemadmodum deceret filios Dei esse bonos & sanctos, sed iustitia Christi nobis donata, est vera, & perfecta iustitia, qua omnino placet oculis Dei: in qua nihil est, quod offendat Deum, quod non summo Deo placeat.* Hæc ergo sola, certa, & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere, nos iustificari coram Deo, id est, iustos haberi, & dici iustos.

XVIII. Sed reliquæ Papistarum turbæ displicuit hæc tam, siue catholica, siue ad Catholicos accedens, paucorum sententia: atque in alia potius nunc omnia. Concilium Tridentinum, sessione sexta, decretum fecit in hanc formam; capit. 7. *Vnica formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostra: & non modo reputamur, sed vere iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnaquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam vniuersusque dispositionem, & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret: unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseruntur per fidem, spem, charitatem.*

XIX. Hæc sunt Decreti verba, paulo altius inquirenda, vt bene legitimeque constituatur status quaestionis. Formalem causam iustificationis dicit iustitiam Dei, qua iusti sumus. Is loquendi modus à nostro difcedit aliquantulum. Nam nos materialem diceremus potius. Verum nihil est admodum difficile. Nimirum illi iustificatum considerant, nos potius in abstracto iustificationem. Illum igitur, quia vident iustum nominari à iustitia; quemadmodum niuem candidam à candore; ignem calidum à calore: non male eius hanc formam dicunt. At nobis naturam inquirentibus ipsius iustificationis in abstracto, melius visum materiam nominare. Sicut singularum scientiarum solet materia dici, sua veritas; quæ tamen in scientie forma est, postquam transijt in habitum, cui cognitioni nomen est. Ignoscant ergo nobis non discedentibus à nostris conceptibus; hæc enim agnominatio, cum ad modum dicendi pertineat potius, quam ad rei naturam, nemo vere Theologus in eo mustaceo lauream affectabit. Sed ad rem.

XX. Materiam ergo iustificationis, geminam distinxerunt Tridentini patres: vel eam iustitiam, qua Deus ipse iustus est; vel eam, qua nos iusti sumus: illam reiiciunt: & recte. Nam & nos: siue Oslandri, siue alius cuiuscunque improbamur sententiam, qui imaginatus sit, ipsam illam essentialem Dei iustitiam nobis communicari, vt inde sciamus iusti. Sed in eo primum peccatum est patribus illis; quod geminam distinxerunt, quam

triplicem debuerunt: Nobis enim Iustificationis materia; neque iustitia est Dei essentialis; neque nostra, qua sumus iusti in nobis, sed tertia, nempe, qua Christus in se iustus fuit: quam, etsi reiectam facile intelligas ex constitutione propria; tamen, cur diserte nominatam noluerint, equidem miror.

XXI. Sententiam ita explicamus, ex reliquorum Papistarum disputationibus. Primo, in iustificandi vocabulum curiosè inquirunt, vt sunt *λεπτολόγοι*. Colligunt varia significata, plura alij, alij pauciora, quibus non libet immorari: legat qui volet apud Salmeronem, apud Bellarminum, apud alios. Ety mo hærent mordicus, à iusto, & faciendo. Vnde comparentes cum alijs, calefacere, frige facere, dicunt eo proprie mutationem designari ad iustitiam in omnibus autem mutationibus, aliquid dari actione, & accipi passione: nomen fieri à termino ad quem tenditur, id est, forma, vel qualitate, quæ acquiritur, deserta omittitur; priore. Hæc diserte Costerus annotat, paulo fusius quam Contareus, & Delphinus.

XXII. Iustificare ergo illis transitus est ad iustitiã. Iustitia, qualitas, à qua intrinseca de nominatione vere iusti dicimur: sicut formaliter sapientes sumus, & temperati à qualitibus sapientia & temperantia, quas Spiritus nobis Christi communicat. Eum transitum fieri dupliciter Tappero docet, vno modo, per modum simplicis generationis, quæ est ex priuatione ad formam: quomodo, inquit, iustificatio competere posset ei etiam, qui non esset in peccato, dum iustitiam à Deo acciperet, sicut Adam accepit originalem iustitiam, & sancti Angeli, & Christus Dominus. Possit etiam fieri secundum rationem motus, qui est e contrario in contrarium: vt sit transmutatio siue translatio à statu iniustitiæ, ad statum iustitiæ: & hoc posteriori modo Scripturas sacras, & Apostolum loqui de Iustificatione impij, quæ est cum peccatorum remissione. Salmero paulo subtilius: iustum fieri, siue ex iusto: videriat alij an sit legendum, ex non iusto: nam alias non videretur sententia expedita) quomodo Christus & Angeli, & primi parentes extiterunt: siue ex iniusto, vt omnes nos qui concipimur & nascimur in peccato originali, & ex Adam veteri transferimur in regnum filij dilectionis Dei. Beatam virginem medio quodam modo iustificatam esse: non enim ex non iusta, vt Christum & alios dictos; neque ex iniusta, vt omnes nos: quia nimirum actu peccatorum non habuerit, ex quo contracto subleuaretur ad iustitiam, sed ex debito peccatorum contrahendi: erecta fuit in iustitiam.

XXIII. Sic descriptæ Iustificationis partes: plerique duas constituunt, remissionem peccatorum, & interioris mentis renouationem, siue repurgationem: quæ verba sunt Enchiridij Colonienfis. Delphinus haud dissimiliter, *Dux sunt, inquit, partes iustificationis: prima est, motus ab iniustitia, qua ipsa condonatio & remissio peccatorum est: altera, motus ad iustitiam, qua proculdubio est ipsius aut iustitia, aut gratificatio gratia diuina infusa.* Accedit Bayus, *Nihil aliud est iustificatio, quam continua quadam progressio, tam in operatione virtutum quam in remissione peccatorum.* Et ad eandem mentem Lorichius, vt videtur, definiuit Iustificationem hominis peccatoris, *transmutationem à statu iniustitiæ in statum iustitiæ per remissionem peccatorum, & infusionem gratia sanctificantis.* Sed & Andradius diserte Iustificationem, duabus constare partibus, remissione peccatorum, & legis obedientiam; legis obseruationem, cum peccatorum venia coniunctam, Iustificationem perficere & absolvere.

XXIV. Sed iustitia cum significet modo habitum, modo actus profuente ab habitu: fuere qui dicerent, eam iustitiam, à qua denominatur iustificatio, in actibus esse: sed Bellarminus, cap. 15. libr. 2. disputat esse potius habitualem: nam illam alteram iustificare quidem; at non formaliter, sed meritorie.

XXV. Sed enim materialem causam iustificationis (illi, vt dixi, formalem malunt) omnes constituunt iustitiam illam, quam in homine regénito Deus efficit per infusam gratiam. Atque hic captata occasione nominis, diligentes sunt in varijs comparandis iustitijs: repetitis etiam definitionibus ex Platonis, Aristotelisq; penetralibus: vt eximium se aliquid, & longe præstantius admirari ostendant in ista iustitia; quam, vt inhaerentem faciunt, non minus quam illa sit Platonis: & Aristotelis; tamen diuinam appellant, siue iustitiam Dei. Illamque; Platonis inquam, & Aristotelis non minus indignam illis Dei; quam ex medio ture mores alienos à filio illustri cuiusdam viri: nam hoc simul Contareus delectatus est.

XXVI. Summa est Iustificationis materiam esse, eam quam nos sanctificationem solemus dicere: quæ consistit in inuouatione veteris hominis. Formam autem infusionem, siue inhaerentiam: cum in vnam quemque per diuinam Spiritus efficaciam immittitur qualitas illa iustitiæ; per quam peccato renūtiatur & adhæretur legi Dei. Videlicet eum; & mens illustratur propria veritate, vnde fides: & voluntas inuatur ad bonum, vnde reliquæ virtutes. Atque ex eo qualitas inducitur diuina, cui nihil creatum æquari queat, ne Angelorum quidem ordines, quotquot sunt, vt à Corono olim audire memini in disputatione Nemaufensi.

XXVII. Quod porro dicimus: iustitia & obedientia Christi, nos esse iustos, Tappero obseruat quatuor modis intelligi posse. Primo, in genere causæ efficientis, ad quam meritum reducat: secundo in genere causæ formalis, secundam extrinsecam denominationem; quomodo medicina dicitur sana ab animalis sanitate: tertio ex mutua communicatione perfectionum, & proprietate membrorum eiusdem corporis; vnde singulorum membrorum dona, toti corpori & omnibus membris sunt communia: quarto, secundum assimilationem, propter iustitiam ab eo participatam, sicut Dei iustitia dicimur iusti. Primum & tertium modum admittit: quartum omnino respuit: sed secundum aduersarij scripturis dicit.

XXVIII. Itaque iustitiam Christi non credunt esse intrinsecam causam, hoc est, materiam, vt nos loquimur, iustificationis; sed extrinsecam duntaxat, siue meritum; sicut, cum Monachi merentur vel sibi vel alijs gloriam, gloriæ ne incrementa (sic enim docent,) non sunt eorum opera, puta, *πληρεία, γυμνοποδοί, ἐρησφάγια, χαρμενία*, pars vna eius gloriæ, sed aliquid ita externum, vt tamen propterea donetur gloria. Andradius, *In Christo nos iustificari, siue Christum esse iustitiam nostram, nihil significare aliud, quam Christum veram expressamque iustitiam nobis promeruisse.* Forte etiam leuius exemplum, cui similem oporteat esse nostram iustitiam, qua iustificamur: nimirum, vt, quomodo iustus Christus ipse fuit sua iustitia, quam habuit inhaerentem; sic nos oporteat nostra

stra iustitia iustos esse: ita tamen, ut cum Christi, tum nostra iustitia, sint, si minus eiusdem gradus, at certe eiusdem generis.

XXIX. Tandem igitur sententiarum aperta discrepantia est. Papistæ credunt hominis apud Deum iustificationem nullam esse, nisi infusam, & inhærentem; quæ sit siue in habitu, siue in actibus iustitiæ secundum legem Dei. Catholici vero statunt illud, quicquid est inhærentis iustitiæ, pertinere ad sanctificationem; de qua multa iam sunt disputata: Sed iustificationem, per quam apud Deum iusti sumus, esse imputationem iustitiæ Christo inhærentis: quæ non potuerit alio villo modo nobis mereri vitam, nisi sic imputaretur.

XXX. Sunt igitur huius disputationis partes duæ: vna, de iustitia inhærente, in qua Papistæ; altera, de imputata: in qua Catholici constituent veram iustificationem.

CAP. II.

Argumenta Bellarmini ex quinto, & tercio ad Romanos.

I. ESSE igitur inhærentem iustitiam, eam, qua esse nos oporteat apud Deum iustos, his argumentis illi conficere satagunt. Primum est ex ad Romanos 5. inde enim Bellarminus orditur, Si unus delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam iusti constituentur multi.

II. Hinc habere se confidit Bellarminus, iustificari per Christum, non esse haberi, aut pronuntia, sed vere fieri atque constitui iustos, per adaptionem inhærentis iustitiæ; & quidem non imperfectæ, sed absolutæ & perfectæ. Quod nos quidem putamus dictum inconsideratius, quam Theologum deceat. Nam primo iustificandi verbum non usurpat à Paulo: itaque non est tam certum, quam ille putat, exponi quid id sit. Secundo distinctum oportuit statum fidelium in hac vita, ab eo statu, qui futurus est in altero seculo, & qui finis est eorum redemptionis in Christo. Nam ad utrumque referri potest illud, Constituentur iusti. Et in futura quidem vita, nemo nostrum negat, inhærentem iustitiam, eaque perfectæ & absoluta, constituendos iustos: sed in hoc huius vitæ statu, id vero negatur. Atqui iustificatio, de qua disputamus, pertinet ad hanc vitam: quia non de statu salutis nunc quidem agimus, sed de causis præcedentibus salutem; siue per quas salutis nobis spes est. Itaque negamus iustificationem eam posse consistere in iustitia inhærente: Etenim cum concedamus, quod tamen ille argumentis euincendum putavit, Apostolum loqui de perfectæ absolutæque iustitia: tum vero negamus, talem esse iustitiam inhærentem huius vitæ. Vnde certa conclusio est, non posse Apostoli verba intelligi de inhærente huius vitæ iustitia: quod nos postea viderimus.

III. Sed nunc vim argumentationis Bellarminianæ consideremus. Primum, ex illis verbis, Iusti constituentur multi: ubi declarat Apostolus, quid sit iustificari, ac dicit esse, iustum constitui: iustum autem constitui, & iustum fieri, idem esse. Post, ex antithesi Adami ad Christum, scribere eundem Apostolum, sic nos constitui iustos per obedientiam Christi, quomodo constitui sumus iniusti per inobedientiam Adami. Constat autem per inobedientiam Adami nos esse constitutos iniustos, iniustitia in nobis vere ac reipsa inhærente, non autem Adami iniustitia nobis imputata.

IV. Respondeo ad prius. Primo, posse concedi, constitui iustos, intelligi de inhærente iustitia: sed perficienda in altero seculo. Verum est enim per obedientiam Christi sic iustos constituendos tandem omnes fideles: quia eis mernerit iustitia Christi vitam æternam, quæ non potest esse, aut considerari absque perfectissima iustitia inhærente. Sed tum negabitur, idem esse, constitui iustum, & iustificari: quia videlicet, iustificatio, ut dixi pertinet ad statum huius vitæ. Et sic distinctæ duæ res erunt; obedientia Christi, & constitui iustum: quomodo si dixerimus, per calorem Solis maturas constitui fruges: tum enim calor Solis ita proponitur causa maturitatis, ut tamen nulla pars sit maturitatis. Hoc modo illud, per obedientiam Christi, significabit iustificationem, quæ sit in hac vita; quamque diximus non esse aliud, quam iustitiam Christi imputatam: deinde, constitui iustos, effectum designabit eius iustificationis. Et huc faciunt illa, Qui abundantiam gratiæ, & doni iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt. Nam videntur distincta tempora; abundantiam doni accipiunt, in hac iam vita positi; at, in vita non regnant, sed regnabunt; scilicet olim & in futuro seculo. Oecumenius, & ἡ μὲν ἰσχυρὰ ἐξουσία τοῦ θεοῦ ἐν τῷ κόσμῳ, & θεὸς καὶ ἡ ἀποστολὴ ἀνεγείθη, καὶ ἡ ἐκκλησία οὐκ ἔσται ἡ ἀποστολὴ, ἀλλ' ἡ ἐκκλησία ἡ ἑαυτῆς ἰσχυρὰ ἐξουσία, καὶ ἡ ἀποστολὴ πατρὸς, Non tantum ut vivamus, data est nobis gratia Dei, & peccatum ablatum, unaque ablata a poena; sed etiam ut sumus filij Dei, & coheredes Christi, hæredesque Patris.

V. Secundo, non est verum, neminem constitui iustum, nisi per inhærentem iustitiam. Et dico, eos etiam vere apud Deum constitui iustos, quibus imputatur aliena iustitia, nempe Christi. Nam id cum fiat à Deo, vere etiam fieri oportet. Sunt ergo iusti, & vere apud Deum iusti, hi omnes: & quidem multo magis, multoque augustius, quam qui ex inhærente sua iustitia æstima-buntur. Itaque nihil obstat, quominus illud, per obedientiam Christi constituentur iusti, sic intelligamus, ut sensus sit; erunt apud Deum iusti, non sua, sed Christi iustitia imputata.

VI. Urget Stapletonus, Antidoro in hunc locum, τὸ κατὰ θεὸν, vocabulum, inquit, ad inhærentem iustitiam explicandam aptissimum, quod vsus Scripturæ manifeste doceat, non imputationem significare, sed veram & inhærentem acquisitionem ac possessionem. Lucæ 12. Super omnia bona sua constituet eum. Psalmo 8. & 2. ad Hebræos, Constituitur ei eum super omnia

nia opera manuum tuarum. Iacob. 2. Qui amicus huius mundi esse vult, inimicus Dei constituitur.

VII. Sed hæc quorsum? Quasi nos asseramus non constitui iustos, non effici iustos, non effici vere iustos: aut aliquid fieri mere φανερόν, & ἔξ δόξης. Atqui nemo nostrum somniauit adeo ἀθεολόγως. Repeto igitur, quod ante dixi. Per iustitiam Christi imputatam, vere, verissime constitui iustos apud Deum. Neque verius aut à Domino suo quemquam inquam seruum constitutum super omnia bona eius: neque à Deo hominem super omnia opera manuum eius: neque denique vllum amantem mundi, inimicum Deo. Quare ne vim verbi urgeto aduersum nos Sophista: quam nos absit ut vel minimum labefactemus: qui scimus eo ipso labefactum in salutem ipsam, sed vicissim iustificationis ipsius naturam nos permittito retinere. Significat τὸ κατὰ θεὸν, non, quod ille dicit inhærentem acquisitionem & possessionem, sed veritatem & certitudinem eius quod agitur: agi autem alias aliter, nihil obstat. Constituitur paries albus, per inhærentem albedinem. At constituitur Dominus creaturarum homo, non per inhærentiam: sed per ἔξωθεν. Constituitur amicus Deo, per affectum Dei amanti, qui inhæret Deo, non ei qui amat. Nam sic dicitur Deus amasse Iacobum, antequam quicquam Iacobus egisset boni vel mali: id est: tum quum non amaret Deum; aut aliquid haberet, quod inhærenter acquisisset, aut possideret. Latus ergo pater significatio, quam speravit Stapletonus. Nihil ergo obstat, quominus dicamus, & constitui iustos fideles per inhærentem iustitiam; & rursus constitui iustos per imputatam iustitiam: sed aliter per inhærentem, aliter per imputatam: Vtrumque tamen vere, & conservata integra significatione constituendi. Sed hic Paulum loquutum de imputata.

VIII. Ad secundum: dico, si intelligatur de futuri seculi statu, nihil in eo esse absurdi, ut dixi. Sed omnino tamen abuti Bellarminum comparatione Apostoli, qui non dixit eodem modo constitui iustos, quomodo peccatores, sed ut multos peccatores, ita multos iustos: & ut illos per unius inobedientiam, ita istos per unius obedientiam. Quare sophisma est ab accidenti: cui si libet indulgere; cur non dicat quis, sicut per unum constitui sunt peccatores originaliter, sic per unum multos etiam originaliter constitui iustos? Vel, sicut per unum omnes nullo excepto, sic per istum? Aut si hæc sunt absurda ratiocinationes, cur illa legitima est?

IX. Deinde, concedimus sane, per inobedientiam Adami constitui omnes vere ac reipsa inhærente iniustitia iniustos, sed alteram partem, non Adami iniustitia imputata; hoc dicimus esse falsum. Imo contra, negamus posse nos fieri iniustos iniustitia inhærente, per unum hominem; nisi huius unius hominis iniustitia nobis imputetur. Et vero, si hoc non sit: quomodo potuit Salmero nobis proponere Virgineam obnoxiam debito contrahendi peccatum? Nam, ut spero, non negabit, hoc debitum commune esse omnibus hominibus; indeque etiam Virgini. Non negabit esse poenam. Si poena est, cuius quæso peccati? An alicuius, quod ipsa Virgo admiserit? quisquam natus ex Adamo admiserit, antequam nasceretur? Nam si nullum hoc est; necesse est alienum aliquod dari. Quomodo autem alieni peccati Virgo (nam huius placet nomen urgere, propter Papistas) poenas lueret, si ei non imputetur? Quare falsa est non imputari postea iniustitiam Adami.

X. Nec mouet me Pererius commentans in hæc ipsa Pauli verba; & subtiliter examinans phrasin. Non dixit Paulus (inquit, quasi aliquid magnum, neque aliis observatum, in Theologiam inueheret) inobedientia Adami constitutos esse peccatores: ne quis putaret per inobedientiam imputatam, sed dixit, per inobedientiam: videlicet per peccatum intrinsece manens in ipsis ab Adami inobedientia profectam. Similiter ergo; non quod Christi obedientia constituat iustos, quasi fiant homines iusti, non per iustitiam inhærentem, sed per imputatam, sed per obedientiam Christi constitui iustos: quia hæc causa fuit meritoria.

XI. Enimvero, cui se speravit persuasurum, priorem illam phrasin, iustitia iustos; iniustitia iniustos fieri, non nisi formaliter (ut illi loqui amant) alteram vero, per iustitiam, per iniustitiam, non nisi meritorie significare? Nam hoc omnino necesse est, aut abire in ventos quicquid hoc est subtilitatis Iesuiticæ. Atqui ipsi: ipsi, inquam, Sophistæ, coguntur huic acuminis renuntiare. Nam τὸ διὰ τῆς πίστεως, διὰ τῆς ἰσχυρᾶς interpretantur formaliter. Ad Romanos 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi. Et, Iustificabit præputium per fidem. Et vero ita oportet, posterioris ad Timoth. 3. Quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Est enim fides, non causa propter quam quis meretur fieri sapiens ad salutem: sed ipsa potius, ut ita dicam, essentia eius sapientiæ: atque adeo per eam Papistæ dicunt illuminari mentem. Sed & ad Galatas 5. Fides per charitatem operans, non potest intelligi charitas causa meritoria, cur fides operetur.

XII. Denique, quis ignorat promiscue dici, albedine, & per albedinem, quid esse album? Virtute, & per virtutem fieri hominem iustum? Atque adeo in Scholis, formam definire, causam per quam res est, id quod est? Et vero Bellarminus cap. 3. libr. 2. de iustificatione, iustificamur, inquit, per gratiam ipsius, id est, per iustitiam ab illo donatam & infusam: & hæc est causa formalis. Post, Propositio per, non recte accommodatur favori & benevolentia, sed causa formalis, aut meritoria, aut instrumentalis. Quare nihil obstat phrasin quidem, quominus illud, per iustitiam unius multi constituentur iusti; sic intelligamus dictum, ut iustitia illa sit, non tantum meritoria causa, sicut Papistæ volunt; sed etiam formalis, per quam nos nunc sumus apud Deum iusti.

XIII. Tapperus ex eodem capite, atque adeo eodem loco probat, Eandem iustitiam per Christi gratiam nobis restitui, quæ ablata est per primum parentem: hanc autem ei fuisse intrinsecam & inhærentem.

XIV. Sed nihil est nouæ difficultatis. Primo enim inhærentem acquiri non negamus, tantum non in hoc seculo perfectam: sed in futuro. Itaque, si verba Pauli intelligas de futura vita; nihil ad rem. Sin de præsentem, negamus acquiri eadem. Alioquin non tantum inhærentem, sed & perfectam oporteret, & originale: quorum neutrum est verum. Neque vero verba vlla Pauli id habent, sed tantum, sicut in Adamo moriuntur, ita in Christo viuificantur: per hominem mors, per hominem resurrectio. Et similia: quæ longè sunt ab interpretatione Tapperi.

XV. Trans-

XV. Transio ad aliud argumentum Bellarmini, ex eiusdem Epistole... Injustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem qua est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorum per fidem in sanguine ipsius.

XVI. Respondeo, re vera insignem esse locum; & complectentem veras causas nostrae salutis: sed has perperam explicari à Bellarmino. Primum; illud deliberalitate Dei, est ἡ χάρις. Paulus dixit δωρεάν. Hac vero voce, nego significari proprie causam efficientem veram, sed reiici fallam: scilicet merita eorum qui iustificantur.

XVII. Præterea; Deiliberatitate, in hoc argumento, nego me vsquam legitime nominatam in sacris libris, sed vel ἀπορία, vel ἰσοπλοία, vel ἰσοκύβητος, vel quod simile; etiam ἰσοπλοία. Neque id de nihilo crediderim fuisse: & vere in tanto beneficio languidior videtur liberalitas: cuius etiam potest causa inquiri, & inueniri interdum etiam meritoria.

XVIII. Et hoc est quod animo Paulus agitabat: quum reiecta causa meritoria per vocabulum δωρεάν, addidit gratiam: quam nos censemus esse vere efficientem causam huius tanti beneficii; non vero formalem, id est, iustitiam infusam; vt somniauit Bellarminus. Paterius, Nomen gratia, cum hic dicitur, iustificati gratis, per gratiam ipsius, licet possit significare supernaturalem & diuinam illam qualitatem à Deo infusam animæ hominis, & in ea inhaerentem, qua est in Iesu & gratia Deo: videtur potius tamen hoc loco significare gratuitam Dei bonitatem, & benignitatem erga hominem.

XIX. Resistit Bellarminus; arguens primum ex hoc ipso loco, deinde aliunde. Primum ergo: quia hic Dei fauor, satis explicabatur per illud Gratia. Qui enim gratis, certe ex beneuolentia, & liberalitate. Itaque illud, per gratiam, aliud quid significat, nempe effectum fauoris.

XX. Respondeo, ad prius: falsum sumi, per δωρεάν satis expressum fauorem Dei. Nam ex iis quæ dicta sunt, constat eo verbo duntaxat proprie remoueri falsam causam. Quia vero non est idem, remouere causam vnã, & aliam ponere: ideo admodum frequens est, vt fiat vtrumque.

XXI. De particula, per, inepta grammaticatio est. Primum, quia hæc nulla est, nisi ab interprete Latino. Græce enim legas, non δωρεάν ἡ χάρις, sed δωρεάν ἡ χάρις, quod est ad verbum, Iustificati per eius gratiam: sicut ca. 5. δι' ἡμῶν δωρεάν ἡ χάρις, per vnus iustitiam: qua phrasi Pererius audiuimus voluisse significari formalem causam, sed δωρεάν ἡ χάρις, iustificati eius gratia, vt vertit Beza. Et hac phrasi idem Pererius volebat significari meritoriam causam: quod Bellarminus videtur nolle pati.

XXII. Deinde falsum est, non bene accommodari fauori, & beneuolentia. Cur non enim, si fauor, si beneuolentia sit efficiens causa? Nam efficientem sic indicari, quando vturpatur verbum passiuum, quis est qui ignoret? Prior ad Corinth. 1. Apostolus per voluntatem Dei Lucæ 18. Quæ scripta sunt per Prophetas. Et 22. Vt homini illi, per quem tradetur. Actor. 4. Notum signum factum est per eos, Et 12. Fiebat per Angelum. Ad Roman. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Luc. 1. In remissionem peccatorum, per viscera misericordiae Dei nostri Dies tunc deficiat, si omnia colligam.

XXIII. Sed nunc missa grammaticatione, in qua sæpiuscule est non bene fortunatus; argumentatur Bellarminus, tum à re ipsa, tum ab alijs locis. Quamquam Baptista breuior maluerit enumerare hæc tanquam

argumenta ad Thesin; non tanquam prosyllogismos. Sed illi videbunt, & inter se comparabunt: etiam meo iudicio, Baptista melius. A rei natura sic. Beneuolentia Dei non potest esse inanis, sed omnino præstat, atque efficit id bonum, quod alicui vult. At, cum Deus nos diligit ac bene vult, id sine dubio vult, vt sumus vere iusti, & sancti coram ipso. Igitur, si gratia iustificans, est fauor, & beneuolentia Dei, & Deus non solum extrinsecus fauet, neq; inaniter bonum vult, sed facit sanctos & immaculatos, quales esse nos vult: certe sequitur, vt per gratiam iustificari, non sit iustos reputari, & non esse: sed re vera iustos, sanctos, atq; immaculatos esse.

XXIV. Respondeo: concedi beneuolentiam Dei non esse inane. Nam profecto inanis illa dici non potest, quæ maximum beneficium præstat. Nullum est autem beneficium maius, quod à Deo possimus accipere, hac imputata iustitia: quæ est ipsa Filij iustitia: cui ne illa quidem æquari poterit, quam obtrinebimus in futura vita. Si non est inanis, inquit, præstat atq; efficit id bonum, quod alicui vult. Distinguo secundum tempora. Nam si dicas, efficere ea beneficia omnia in hac vita: hoc vero negabitur: quia constat, multa reseruari in futuram vitam. Nec propterea, aut inane, aut infirmum esse fauorem: quia nunc non efficit: nimirum, quia nunc non efficit. Satis est, si tandem futurum sit vt efficiat.

XXV. Deus vult, vt sumus coram se vere sancti, & iusti. O quis neget? Ergo facit. Anathema qui contradicat: Ergo per gratiam iustificari, non est reputari, & non esse. Imo veteratorie: Sanctitas, vel imputata, vel inhaerens. Illa imputata, vera est, sed non inhaerens. Itaq; per gratiam iustificari, est qui dem vere sanctum esse: sed non inhaerenter. At quis sine f. aude sermo est, reputari & esse cum opponunt, de eodem intelligunt. Cui imputatur iustitia Christi, is reputatur iustus, & non inhaerenter: Sed vere tamen iustus est, & reputatur.

XXVI. A comparatione locorum quinque sunt argumenta. Primum, Gratiam iustificantem, non esse solum fauorem Dei, sed donum in anima inhaerens, intelligi ex varijs attributis & nominibus eius. Ad Rom. 5. Accipientes abundantiam gratia & donationis, Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ad Ephel. 4. Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. At fauor Dei, neq; accipitur, neq; dicitur factus neq; datur ad mensuram.

XXVII. Non accipitur, non donatur fauor Dei. Imo, inquam, accipitur, donaturque effectum fauoris Dei. At Paulus non dixit, donationem gratia; sed dixit, abundantiam gratia: & donationis iustitia; τὴν δωρεάν ἡ χάρις & τὴν δωρεάν τὴν δικαιοσύνην, id est, Beza interprete, reddidit: em illam gratiam, & donum iustitia. Iustitia autem non est fauor Dei; sed est eius effectum; siue donum. Non est enim nostra, sed Christi: itaque donari oportet; vt fiat nostra. Et tamen, fac dictum, donari fauorem: quid tum? Non datur, inquit, fauor. Imo, inquam, datur fauor. Nam hic fauor, quid est nisi gratia? Et quid gratia, nisi charitas, dilectio? At datur charitas; prima Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater. Charitatem dedit: cur non gratiam: cur non fauorem?

XXVIII. Fauor Dei non fit. Recte: sed cur dabit pœnas veritas, si quid inconsultus peccauit interpret? Ioan. dicit, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια ἀγαπᾷ ἡμᾶς ἵνα ἴδωμεν τὸν πατέρα. Quis autem nescit, τὸ ἴδωμεν vturpari pro verbo substantiuo? Ipso illo teste interprete, Marci primo ἰσχυρὸν ἰσχυρὸν βαπτίζων, Fuit Ioannes Baptizans. Quarto, ὁρᾷ ἰσχυρὸν καὶ μῦθος, Et quum esset singularis Nomen, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἰσχυρὸν, & quum domi esset. Lucæ 10. Τὸ τὸ πᾶν τὸν τῶν δωρεάν ἡ χάρις, Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse? Infinita sunt huiusmodi: etiam quum de Deo sermo, quem ipsum fieri non dicunt, opinor, Sophista. Matthæi vndecimo, ὁ πᾶς ἰσχυρὸς ἐν δυνάμει τοῦ θεοῦ, Sic fuit placitum ante te. Ad Romanos 3. γὰρ ὁ θεὸς ἀληθὴς, ἔστι ὁ θεὸς verax: Itaque dormitavit hoc loco Latinus Interpres. At non Syrus, qui γὰρ: non noster Beza, qui olim, exiit, sequitur Vallam: post autem, præstita est. Neque vero Nonnus, καὶ χάρις καὶ ἀλήθεια ἀγαπᾷ ἡμᾶς, Neque quum frustra hic somnet mysterium in, facta est: idem est verbum, quod primum vertit, facta sunt, & factum est: deinde fuit homo: rursus, ante me factus est. Ergo facta est hoc loco, magis est, caput esse, siue orta est; aut quod verbum arripit Vallam, exiit.

XXIX. Dari secundum mensuram hunc fauorem, hanc gratiam, negamus. Nec vero dictum Paulo. Nam ad Ephesios quarto, non de hac ille gratia iustificationis, sed de varijs, quæ ab ea pendent, donis δωρεάν ἡ χάρις, quibus χάρις nomen μετὰ ἑαυτῶν tribuitur. Id textus ipse offendit: quia subinfertur: Dedit igitur ipse, alios quidem Apostolos: alios vero Prophetas: alios Euangelistas: alios autem pastores & doctores: quibus verbis illa præcedentia explicantur, nempe, quomodo sit vnicuique data gratia secundum mensuram: nimirum, quia non tantum omnes æqualiter, sed ne omnes quidem eadem habeant dona. Anselmus, Non omnes aequaliter dona celestis gratia percipiunt: nam aliud donum gratia habet iste, aliud ille: & quod habuit ille, non habet iste, sed vna est Christi gratia, qua distribuit. Chrysothomus, & qui eum sequuntur, χάρις καὶ ἀλήθεια diserte nominant. Occumenius, ἐν τῷ ἰσχυρῷ ἡ χάρις, τὸ ἐν τῷ ἰσχυρῷ. Benedictus Iustinianus, Potuissent Ephesi obicere Apostolo, non videri vnum in omnibus, eundemque Spiritum, neque vnum omnium fidelium esse corpus, vnamve Ecclesiam, quando quidem varia & multiplicia cernantur in fidelibus Spiritus Sancti charismata. Occurrens igitur Apostolus, ait data esse quidem alia, atque alia dona: non tamen pro cuiusque merito & dignitate, sed pro eo largitionis modo, qui ipsi Deo maxime placuisset Salmerio, Ad hunc modum loquitur Apostolus, dona videlicet spiritualia distribuitur pro mensura donationis Christi. Nempe igitur gratiam constat positam pro gratuitis donis: itaque male comparasse Bellarminum cum gratia, siue fauore isto, de quo nunc sermo est. Nam hæc gratia, hic fauor, datur omnibus hominibus: non vero paucis quibusdam; quomodo Apostolus, aut Prophetia. Et vero Pauli verbis nihil vniuersalius, iustificati gratis per gratiam ipsius.

XXX. Alterum argumentum. Gratia Dei comparatur essentia, quæ datur per creationem. Inde enim dicimus, creati in Christo. Ad Ephel. 2. & noua creatura, ad Galat. 6. At id per quod creaturæ dicimus, intimum, & inhaerens est.

XXXI. Atqui nego iis locis agi de iustificatione, sed de sanctificatione, quæ est eius effectum, & tota in inhaerente iustitia. Patet ex 2. ad

Ephesios, Gratia estis servati per fidem, idque non ex vobis: Dei donum est: non ex operibus, ne quis gloriatur: nam ipse sumus opus, conditi, siue creati in Iesu Christo ad opera bona. Viden? Primo, non simpliciter creati in Christo, sed quod expressum noluit Bellarminus, creati ad bona opera. At hæc bona opera eodem textu abdicantur à ratione iustificationis: Non ex operibus, inquit. Esto igitur sane id, per quod creaturæ dicimur (intellige formaliter) intimum & inhærens, at non sequitur, ipsam iustificationis gratiam esse inhærentem non enim ut effectum, sic causam efficientem oportet esse inhærentem.

XXXII. Tertium argumentum. Eadem gratia comparatur luci, posterioris ad Corinthios sexto, Quæ participatio iustitiae cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? Ad Ephesios 5. Eratis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino. Primæ Ioannis 2. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est. At certe lux non facit opus lucidum, nisi inhæreat, neque patitur se cum tenebris. Quomodo igitur potest homo iustificatus non tantum lucidus dici sed etiam lux in Domino, quum antea tenebrosus esset, si adhuc tenebræ peccatorum in ipso hærent, & gratiæ lux extrinsecus manet?

XXXIII. Imo vix videtur sui compos fuisse Bellarminus, cum hæc effutiret. Nam manifestum est, nos dici esse lucem, ὡς ἐσθλὸς, quia sumus in luce, quomodo Ioannes loquitur. Atqui esse in luce, nihil significat inhærens, aut intimum, sed extrinsecum. Alioquin corpora nulla opaca, essent in luce: quod est falsum. Vnde potest Sophista suum ipse absurdum solvere: nam quemadmodum nihil obstat, quominus corpus quod est in luce, sit opacum: sic, nihil absurdum est, eundem qui sit iustificatus, esse peccatorem. Quanquam alias disputatum hoc est, & constitutum, omniæ hominem, quamdiu hic vivit, esse peccatorem, & habere in se peccatum. Quare necessario dicendum, aut neminem hic viventem esse iustificatum, contra Scripturam: aut iustificatos non esse absque peccato.

XXXIV. Cæterum, lux non significat gratiam iustificationis; sed potius sanctificationis, quæ est in innovatione nostri. Ambrosius in illud ad Ephesios; Tenebra, ignorantia sunt, quia nemo videt in tenebris. Ignorantia vero gentilitas est, siue perfidia, à qua Dei gratia ad finem tracti sunt, facti: lux, id est, veritas: quia in luce manifestatur quæ sunt. Denique, Pagani in tenebris mystica sua celebrantes, in spelæo velatis oculis illuduntur. Ex his Christiani facti, cognita veritate, filij lucis dicuntur, quia Deus lux est, cuius fidem in veritate suscipiunt. Nota primo, lucem esse fidem: secundo, nos Dei gratia ad fidem trahi. Ergo, aliud est Dei gratia, aliud lux: contra quam censuit Bellarminus. Sed & series ipsa etincit, Paulum loqui de sanctificatione: quia de operibus, siue conversatione: Eratis olim tenebra, nunc autem lux in Domino: ut filij lucis incedite: probantes quid sit, acceptum Domino: & non commercium habete cum operibus illis infugiferis tenebrarum. Similiter in poster. ad Corinth. Ne impari iugo copulemini cum infidelibus: quod enim consortium iustitiae cum iniustitia? & quæ communicatio luci cum tenebris? Quapropter exite à medio eorum. Disputet ergo Bellarminus ut volet, hæc lucem esse inhærentem: at non conficit tamē, iustificationem esse inhærentem.

XXXV. Quartum argumentum. Gratia, per quam iustificari nos dicit Apostolus, dicitur ad Romanos 5. Caritas diffusa in cordibus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et hæc charitatem esse eam, qua Deum amamus, asseruit Augustinus de Spiritu & litera, cap. 32. sed & Apostolus, 8. ad Roman. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater: Clamamus autem per caritatem, qua diligimus, non qua diligimur.

XXXVI. Respondeo, τὴν ἀγάπην ἢ τὴν εὐδοκίαν, charitatem Dei, hoc loco varie fuisse expositam. Alias passivæ, caritatem, qua Deus amatur: quomodo Paulus, post. ad Thess. lon. 2. nominavit, τὴν ἀγάπην ἢ τὴν εὐδοκίαν. Et Lucæ 11. Præteritis iudicium & charitatem Dei. Et Ioan. 5. Nunc vos charitatem Dei non habere in vobis. In hæc partem inclinavit Augustinus; & post eum alij. Quorum si esset certa sententia; negarem, quod supponit, non probat, Bellarminus, hæc esse gratiam, qua nos iustificari Paulus dicit. Cur enim non sit potius effectus eius iustificationis? Nam & Lyranus eam charitatem appellat, arram gloria. Atqui iustificatio nostri, plus est, quam arram, nempe, causa gloria.

XXXVII. Sed charitas Dei, significat etiam actiue, eam, qua nos Deus dilexit. Et, hæc si retinemus, nihil in hoc loco momenti est in causam Bellarmini. Nam, ut fateamur hæc charitatem esse gratiam qua iustificamur; tamen certum est, non inhæreere nobis, sed esse extra nos, in Deo. Quanquam hæc quidem est ad hæc rem, cum non sit, siue materia, ut nos loquimur, siue forma, ut Papistæ, sed efficiens potius iustificationis.

XXXVIII. Sed vehemens disputatio est; utra præualeat sententia. Nostri, Philippus, Calvinus, Martyr, quos Bellarminus nominat, adde, Beza, Gualterus, Olevianus, Piscator, Paræus: alij omnes ferme, (nam Aretio mens alia) actiue præulerunt. At Bellarminus, & Stapletonus in Antidotis, passivam maluerunt. Ille pugnat vniuersi Augustini autoritate, quem nostris omnibus auteponi, velimus, nolimus, oporteat. Et vero tanti nominis virum, nunquam nobis inuitis ille præulerit: nec recusauerimus, quominus vicerit eius sola autoritas prolata: si ei autoritati, solam nos nostrorum autoritatem opposuerimus. Sed non esse eam sententiam à nobis duntaxat, non ignoravit profecto Bellarminus: ignoravit fortasse maioribus. esse sultam rationibus.

XXXIX. Autores hos habemus ex Veteribus. Primum nonnullos, qui utramque coniunxerunt: atque ita præiudicauerunt, non esse illam actiue temere reiiciendam: quod Bellarminus facit; nulla reddita causa, sed tantum laudato Augustino. Origenes, à quo postea transcripsit Sedulius, Sed & illud mihi considerandum videtur, verum ne hic charitatem illam dicat, qua nos diligimus Deum, an illam, qua diligimur à Deo, diffusam esse per Spiritum sanctum in cordibus nostris. Et si quidem illa charitas, qua Deum diligimus, intelligatur; sermo iste assertionem non indiget. Si vero, quia dixit, effusam esse Dei charitatem in cordibus nostris, illa potius intelligenda sit, qua diligimur à Deo, certum est, quod velut summum & maximum donum Sancti Spiritus charitatem ponat. Haymo, Et quare hoc? Quia charitas Dei, qua nos diligit Deus, vel qua diligimus Deum, diffusa est

in cordibus nostris. Sed & inter Papistas, Thomas, Caritas Dei autem dupliciter accipi potest. Vno modo pro charitate qua diligit nos Deus: alio modo, potest dici charitas Dei, qua nos Deum diligimus. Pererius disputatione secundæ in hoc caput, utramque exsequitur: neutram præfert, Et vero, inquit, utraque, siue Pauli hoc in loco consilium & propositum spectes siue contextum orationis, & verborum, tam præcedentium hæc sententiam, quam subsequentiū consideres, est admodum probabilis. Vide Dominicum à Soto.

XL. Sed multi sunt, qui actiue præulerunt. Chrysostomus, ἵνα ἢ μὴ πρὸς λέγει, τίς ἐστι, εἰ μὴ βέλγη) ἡμῶν καὶ ἐλοιστοῦ ὁ θεός; ὅτι ἰδοὺ ὁ θεὸς καὶ ἡμεῖς ὄντες; καὶ ἡμεῖς ὄντες ἰσοῦς πόντος ἢ ἐν ἡμῶν βελγῆς ἐσται, ἀπὸ τῶν ἡδὴ γενησῶν. ποίων γενησῶν; ἢ ἀγαπῶνς ἡμῶν ἢ ἐμῶν ἢ πρὸς εἰς αὐτόν. Ne quis dicat, quid ergo, si nolit nobis gratificari Deus? Nam posse, & vires habere, & vivere, scimus omnes: sed unde sciremus, esse eius consilij? Ex iis, qua iam facta sunt. Quenam illa facta? Ex charitate, quam erga nos manifestavit. Et paulo post, εἰ πῶς, ἢ ἰσπίς ἢ ἡμεῖς ἡμεῖς, ἢ τῶν ἡμεῖς ἡμεῖς ἡμεῖς, ἀπὸ τῆ ἀγάπης. Deῖ τὸ πᾶν ἀνέσχεον. Postquam dixit, spes illa non pudesfacit; non nostris meritis sed dilectioni Dei, id quicquid est imposuit Theophylactus. Confirmat, qua nobis à charitate ipsa, quam erga nos Deus ostendit, sunt obventura. Oecumenius est hunc Toletus in alio ordine numeravit inconsiderate, Ἐπὶ τῷ μὲν φησὶ, ὅτι πᾶς ἐκ μόνης ἀγάπης θεῶν, ἢ ἀγαπῶνς ἡμῶν, ἢ ἐμῶν ἢ πρὸς εἰς αὐτόν, Spiritum dicit, qui ex sola caritate Dei, qua dilexit nos, superuenit in nos. Ambrosius, Pignus enim charitatis Dei habemus in nobis per Spiritum Sanctum datum nobis. Primasius Quomodo nos Deus diligit, ex hoc cognoscimus.

XLI. Etiam Papistæ. Caetanus, Huiusmodi firmitas, ut possimus assequi gloriam Dei, pendet ex amore Dei erga nos: certum est enim, quod Deus potest, & scit communicare gloriam suam nobis, sed in hoc pendet totum, an velit illam nobis: quod est amare nos ad illam. Et propterea solidum spei fundamentum ex dilectione Dei erga nos, manifestat; dicendo, quia dilectio Dei. Toletus, Probat Paulus efficaciam argumento spei non considerare, sed certissima esse quæ speramus, nec Deum defuturum promissis suis. Probatio autem, & argumentum tale est, qui quia ex fide iustificati sumus, habemus iam charitatem Deo effusam in nostris cordibus, qua non inimici Dei, ut ante, sed amici, & cari, dilectique sumus à Deo. Et post, Charitatem Dei appellat, qua diligit, nos Deus, & ab ipso dilecti sumus. Benedictus Iustinianus in paraphrasi, Porro, spes nullo unquam tempore pudore afficit, aut rubore aliquo suffundit, sed potius pudorem illum, qui ex rebus aduersis coram hominibus oriri nonnunquam solet, penitus expellit, propterea quod diuina illa charitas, qua nos Deus ipse complectitur, in corda nostra effusa est.

XLII. Sunt autem eius interpretationis argumenta duo vehementissima; vnum ab ipsis verbis; alterum à sequentiis. Nam, cum certum sit, non posse significari nisi alterutram, aut eam qua amamus, aut eam qua amamur: illam non esse fit manifestum. Nam hæc charitas causa est, quare spes non pudesfaciat, siue confundat: id est, quare exitum suum certum habeat: adeo ut non possint fideles ab spe sua deficere. At huiusmodi causa esse nequit charitas illa, qua Deum amamus: tum nostro, tum aduersariorum iudicio. Nam & nos negamus, id debere nostræ charitatis, quæ imperfectissima est, nec digna tanto beneficio: & aduersarij eam negant esse certam: quomodo autem potest à re: quæ ipsa sit incerta, sperari tanta certitudo?

XLIII. Nam quod Stapletonus contra pertendit sola pertinacia; audiatur Iesuitam contradicentem Iustinianum, Certum est, his verbis rationem contineri superioris sententia, cur videlicet spes ruborem non afferat: quia, inquit, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: hoc est, eximium illud donum accepimus, quo Deum supra omnia creata diligimus. At videtur argumentatio (ut leuissime dicam) prorsus frigida. Vnde enim constare potest, nos esse diuina charitate præditos? Neque enim, ut alius docuimus, potest quis sibi certo persuadere, circa diuinam reuelationem, sibi charitatis habitum inhæreere, seque ideo infusa & supernaturali charitate Deum amare: quam vim igitur habere possunt hæc, qua sunt prorsus ignota, ad erigendam spem nostram, eamque roborandam, & confirmandam: Itaque, vero similior videtur interpretatio Chrysostomi, Theophylacti, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum, qui de diuina in nos caritate verba Pauli accipiunt. Peccabit igitur Stapletonus contra propria sue religionis præcipia.

XLIV. Toletus aliter disputat, Quamuis utroque modo accipiatur simul, nempe, charitas Dei, qua diligimur & diligimus, tamen ad mentem Pauli, & ad efficaciam argumenti, magis accipitur, pro charitate Dei, qua diligit nos, & dilecti sumus ab eo. Nam si charitas accipiatur pro ea, qua diligimus Deum, non complectitur omnia dona Spiritus Sancti: quia charitas vna est virtus. At si accipiamus charitatem pro ea qua diligit Deus nos, omnia complectitur: nam effusa dicitur hæc charitas in nobis propter effectum. Viderint alij, quantum huic argumento deferri oporteat: ego enim meum non facio.

XLV. Sed frigidam esse eorum argumentationem, qui insitam nobis charitatem intelligunt, melius aliunde non intelligas, quam à Stapletono, Constantia nostra, inquit, qua in tribulationibus patientiam seruantes, probamur esse filij Dei, ideoque spem gloria filiorum Dei concipimus, adeoque spem firmam, qua non confundit, quod aliud fundamentum est, quam ardens illa in nobis Dei dilectio, ab ipso Deo cordibus nostris immissa, & infusa, qua facit, ut Deum vnice diligentes, pro eius amore & beneplacito, quasunque tribulationes patienter toleremus? Enimvero quorsum ista? Nam hoc non querit Paulus, unde fiat, ut tribulationes toleremus: tum enim concedo, posse causam dici, charitatem nostram in Deum. Ne hoc quidem, quæ sit constantia in his tribulationibus causa: aut vnde spem concipiamus gloria filiorum Dei; quæ firma est, quæ non confundit. Hæc, inquam, non sunt nunc in quaestione. Et tamen si essent, posset disputari, verum vera causa sit illa charitas: quod tam confidenter Sophista supponit. Quid ergo? Nempe, hæc quaestio est, Quare spes non confundat. Est autem longe aliud querere, quare concipias spem, quæ non confundit: & querere; quare spes ea, quam tu concipis, non confundat. Cum ergo Stapletonus, ut colorem adderet suæ charitati, tam manifeste quaestionem coactus sit mutare; quis dubitet multum esse eius interpretationis gelu, ut mouit Pererius?

XLVI. Alterum nostrae interpretationis argumentum validissimum a se-

XLVII. Stapletonus respondet; aliam hic charitatem intelligi, quam

XLVIII. Sed illud de phrasi, sophisticum est; vanum est. Nam caritas Dei,

XLIX. Quod ad seriem attinet; quid in mentem Stapletono ve-

L. Certe manifesta est Graecorum ἀγαθία, & σωμαργαλία. Spes

LI. Quid ergo? Nempe Stapletonus, audaculus Sophista, a se ipso habet,

LII. Sed sperat se probaturum charitatem qua Deus amatur, Salmerō

LIII. Respondeo ad primum, non negari interdum ea phrasi si-

dum, ut Filium suum unigenitum daret. Adeo dum scriberet ad Corin-

LIV. Ad secundum. Quis, inquam, iussit, ut nunquam quisquam loqua-

LV. Ad tertium. Nihil est absurdum, charitatem diffundi in corda ho-

LVI. Quatum: concedo, communicatum esse charitatis donum,

LVII. Superest postremum: de quo, quid dicam? aut cur dicam?

LVIII. Redeo ad argumenta Bellarmini: quorum hoc quintum est. Ad

LIX. Respondeo: Iustitiam, δικαιοσύνην, quam Bellarminus iusti-

CAP. III.

Alia Papistarum argumenta ex Epistola ad Romanos.

I. EX sexto ad Romanos Bellarminus profert: Qui mortuus est, ius-

II. Respondeo; non concludi quaestionem: Quis enim negavit,

III. Porro, manifestum est utrumque, Apostolum loqui de Sancti-

IV. Enimvero, illud διδουχαιώτης δόξος ἀμαρτίας, quod Latinus

... in posterum a peccando liberatur, mortuus quum daceat: sic & qui a Baptismo ascendit. Vnde Oecumenius...

V. Ex capite octavo: vbi Apostolus scribit. Nos iam per Christum accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei, quoad animam, qua vivit propter iustificationem...

VI. Respondeo: Primo, nunquam dictum Paulo, nos accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei quoad animam, sed Bellarminum finxisse a se mutatis, transpositis, interpolatis verbis Pauli...

VII. Secundo; adoptio nominatur, vel proprie, pro ea gratia, qua adfici sumus in numerum filiorum Dei: vel metonymicis, pro effectis siue privilegiis, quae ab ea manant adoptione...

VIII. Itaque post, cum voluit docere Paulus, non expectare, non dixit absolute, adoptionem nostram, sed cum explicatione: quod dicitur...

IX. Sed vim argumenti Bellarminiani expendamus. Adoptio, inquit, quam expectamus, verissima erit, & inherens; id est, immortalitas & impassibilitas, non putativa, sed vera...

X. Alioquin, inquit, sicut expectamus redemptionem corporis: sic

expectarem redemptionem animae. Ineptè, inquam. Nam quis negat, sicut expectamus redemptionem corporis, sic expectari animae? Si tamen eodem sensu utriusque redemptionem nomines, illam omnibus suis numeris absolutam, ut loquebatur Iustinianus; quæ in immortalitate & impassibilitate...

XI. Ex eodem capite, Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: Et prioris ad Corinthios 15. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem caelestis...

XII. Respondeo; primum, negari consequentiam: non enim legitimum esse à re, ad modum rei. Alioquin similiter licebit assumere: at Christus, qua homo, non tantum inherenter, sed etiam originaliter, & perfecte iustus fuit: ergo & nos oportet esse originaliter, & perfecte iustos: quod tamen absurdum est, & sophisma...

XIII. Secundo: negatur hæc imago esse in iustificatione, per quam in hac vita Deo sumus accepti. Id sit manifestum ex re ipsa. Nam ea fuit hæcenus varie explicata. Fuere, qui referrent ad futurum seculum, quum in statu gloriæ similes erimus Christo primogenito nostro...

XIV. Qui eam imaginem maluerunt esse in hac vita, ne omnes quidem vno sunt ore loquuti. Chryostomus ipsam filiationem intellexit, Eides πρὸς ἄλλους ὡς πατέρα καὶ υἱόν, ὡς τὸν θεόν καὶ ὡς τὸν υἱόν, ὡς τὸν ἀρχαῖον καὶ ὡς τὸν ἑσχατὸν...

XV. Alij imaginem in iustitia posuerunt, & vt nos nos loquimur, in sanctificatione. Oecumenius, εἰκὼν ἡ ὁμοίωσις τοῦ θεοῦ καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἀφρασίας καὶ τῆς ἀκαταστασίας καὶ τῆς ἀκαταστασίας καὶ τῆς ἀκαταστασίας...

XVI. At Caluinus, Gualterus, Aretius, conformitatem existimant in cruce & afflictionibus, Ab ipso (inquit Caluinus) electionis ordine demonstrat, omnes fidelium afflictiones, nihil esse aliud, quam modum, quo Christo conformemur...

XVII. Quam ergo nunc ex omnibus deliget Bellarminus explicationem? Nam prima, nihil ad rem: qui non disputamus, de gloria fidelium futura, cum erunt in patria. Secundo, à nobis est potius: quia adoptio nostra, vt diximus; nihil est proprie, nisi gratia illa Dei, id est, bona eius voluntas, quæ reputat nos pro filijs...

Imago Christi. Sed Bellarmino probandum superest, hanc imaginem esse iustificationem nostri: & non potius huius effectum. Nam, cur hanc imaginem oporteat, quam reliquas? sive gloriam futuram; sive afflictiones? Dico clarius. Si potest gloria, si potest crux, esse imago illa, & neutra est iustificatio: ergo non est necesse imaginem esse iustificationem nostri. Cur ergo, si demus disciplinam sanctitatem, hanc necesse est?

XVIII. Sed reliquos *ψῆφους* videamus. Si Christus iustus inhaerenter: ergo & nos. Concedo, inquam. Sed hanc inhaerentem iustitiam negamus esse iustificationem nostri apud Deum. Si putative iustifimus, & non inhaerenter, ergo magis Diaboli imaginem gerimus. Mitto verborum inuidiam; & putative interpretor, imputative: itaque nego consequentiam: in qua nihil video, praeter merum calumniae virus. Sed denominatio sumenda ab eo quod sumus. Concedo. At quis negat, aut imputatam iustitiam esse iustitiam, aut qui per imputationem iusti sunt, eisdem esse inhaerenter iustos? Nam, etsi haec inhaerens iustitia, longe absit a perfectione, tamen est iustitia. Itaque hi mere sunt *ψῆφους*.

XIX. Neque plura Bellarminus habet ex Epistola ad Romanos. Sanderus magnus nugator, tria addit, capite tertio, sexti de Iustificatione. Primum ex capit. 4. *Signum accepit Abraham circumcisionis signaculum iustitiae fidei, qua est in praputio.* Habemus, inquit, manifestissimam propositionem in Scripturis sacris, quod iustitia fidei erat in Abrahamo: erat, inquam, in illo, & non aliunde imputabatur illi. Ait enim Paulus, iustitia fidei erat in praputio Abrahæ; id est, erat in Abrahamo nondum circumciso.

XX. Papæ! quantum acuminis! quantum confidentiae! Ast ego nego, in praputio, idem esse Paulo, quod in Abrahamo, sed potius denotare temporis circumstantiam; non vero subiectum in quo esset ea iustitia. Dominicus à Soto, in praputio, ante quam circumcissionem acciperet: Emanuel Sa, *Cum non dicitur esse circumcisus.* Quinquam, quid opus est testibus? Quasi non diserta sint verba designantia quaestionem. Graeca dico: nam Latinus interpres non nihil deflexit: etsi non admodum periculosè; sed tamen apte ad Sophistarum ingenium. In circumcissione, ait, an in praputio: vnde Stapletono ruditus, *Iustitia fuit in praputio: quasi hordeum au disse in dolio.* Sed Paulus scripsit, *εὐσεβείᾳ καὶ φόβῳ κυρίου, ὡς ἐστὶν ἐν νόμῳ.* Recte Beza, *Quum esset in Circumcissione an cum esset in praputio? non in Circumcissione, sed in praputio.* Arias ad verbum, *In Circumcissione existenti, an in praputio?*

XXI. Ergo sensus est, quem Toletus expressit, *Abraham iustitiam fidei accepit in praputio.* Nisi forte & hoc aequè ambiguum Stapletono, aut cuiquam malo Sophistæ: qui &, accepit, vrgeat: & accepit in praputio: Itaque Iustinianus melius in paraphrasi, *At qua tandem ratione, aut quando id factum putamus? Ante Circumcissionemne, cum adhuc more gentium, praputium retineret, an vero postquam Circumcissione praputium resecuisset? Certe non post Circumcissionem, sed multo ante, quam praputium amputaret.* Id factum, inquit. Quid autem? Itane dubitatum oportuit? Et Stapletono pronunciatum, fuit in Abrahamo non circumciso? Atqui occupat, Paulus: qui signum accepisse dixit, at iustitiam imputatam fuisse, *Quomodo ergo imputata est? ut vertit Beza: siue reputata est? ut Latinus interpres. Si ergo iustitiam accepit, ut loquitur Toletus: at certe accepit imputatam.* Quare Sanderus ex Paulo argumentabatur contra Paulum.

XXII. Alter locus est ex nono, *Gentes, qua non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem qua ex fide est.* Argumentum. Quod apprehendit quis: id in se habet: gentes apprehenderunt iustitiam, qua est ex fide: Ergo fidei iustitiam inhaerentem sibi habebant: alioqui non apprehendissent illam. Quod enim apprehenditur, tenetur, & est in apprehendente.

XXIII. Respondeo. Negatur maior. Nam apprehenduntur etiam, quae sperantur. Paulus, prioris ad Timotheum 6. *Apprehende vitam aeternam.* At quae futura sunt, nondum sunt: itaque non possunt esse in apprehendente. Cur non haec iustitia fidei? Praeterea, Paulus vsus est vocabulo *καταλαμβάνειν*; quod à corpore transfertur ad mentem. Actorum quarto, *καταλαμβάνειν ὅτι ἀνθρώποι ἀρχαίμοροι εἰσι καὶ ἰδοὶ*, *Comperio, quod homines essent sine literis, & idiotæ.* Et 10. *ἰὼ ἀληθείας καταλαμβάνω, In veritate comperio Deum non accipere personam.* At, quae mente sic *καταλαμβάνω*, sunt extra apprehendentem: non in apprehendente, nisi per modum intellectus: qui tamen modus non est res ipsa, sed quaedam, quasi imago rei.

XXIV. Denique Paulus dixit, *Gentes assequutas esse iustitiam ex fide.* Quid igitur dicemus? *Gentes, qua non sectabantur iustitiam, apprehendisse iustitiam: iustitiam autem, qua est ex fide.* At iustitia ex fide, ut post videbimus, non est inhaerens, sed imputata. Ergo sensus est, Gentes esse assequutas iustitiam illam imputatam.

XXV. Tertius Sanderus locus est ex 10. *Qua est ex fide iustitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in caelum? Id est Christum deducere: Aut, quis descendet in abyssum? Hoc est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod predicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Horum ille hunc sensum constituit. Legis iustitia fuit extra nos, & ideo imperfecta: fidei autem iustitia intra nos; ut pote in corde nostro, & inde in ore nostro: itaque iustitia fidei est perfecta. Rufus. Isti iustitiam nostram in caelo, & in abyssis constituent, Christum deducentes à caelo, & eum reuocantes à mortuis, quoties iustitiam suam sibi exhibere nolunt. Nam, cum in Christo iustitiam suam formalem esse dicunt, necesse est, ut extra se ferantur, & eam inquirant, ut iustitia sua non priuentur. At nos dicimus, Christum habitare in cordibus nostris per fidem, hoc est, per effectum quandam iustitiae Christi, creatum & manentem in nobis.

XXVI. Et nemo miretur Papisticum ingenium? Sed nos negamus Paulum.

lo in mentem venisse illud, iustitiam legis fuisse extra nos. Quò enim sensu? Nam hanc, aut nullam oportet esse, aut esse intra nos. Si enim extra nos: ergo fieret nostra per impurationem. At hoc absurdissimum. Constat enim operibus: aut iustitia ex operibus, & iustitia per impurationem, opponuntur. Similiter, neque iustitiam fidei Paulus voluit intra nos esse: quòmodo enim imputaretur? Quare, toto caelo, totaque terra Sanderus aberrat.

XXVII. Quid ergo? Nempe Paulus iustitiam fidei, cum dixit in corde nostro, intellexit fidem; qua apprehendimus iustitiam; ipsam illam fidem esse in cordibus nostris. Et, quia fides, eo quod hanc iustitiam sola apprehendit, dicitur iustitia nostra, haec iustitiam fidei esse in corde nostro. Ideò diserte, *Hoc est verbum fidei, quod predicamus: Id est, inquit Soto, hoc ipsum verbum, quod illic asseritur, esse in corde & in ore, est illud quod nos predicamus putam, Evangelica fides.* Quinquam, quid opus est testibus? Ipse Paulus. *Quia, si confiteris in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

XXVIII. Enimvero illud iucundum; deducere nos Christum à caelo, quia extra nos feramur, quærentes iustitiam nostram. Quid enim opus est, aut educi Christum, si extra nos feramur: aut extra nos ferri, si deducamus Christum? Nam, si deducimus, ergo ad nos. Sed ita fore lenne est Sanderus ludere, dum serio agendum erat. Nos non pudet, extra nos ferri in Christum, quoties nostram iustitiam cogitamus. Viderint Papistæ, utrum beatus illis sit, qui à Christo discedunt, iuam iustitiam volentes stabilire.

XXIX. Christum habitare in cordibus nostris per fidem, Paulo scimus dictum, neque aliter induimus credere. Habitare per effectum quandam iustitiae immanentis, non nimis inficias: quandoquidem ipsa illa fides, est fundamentum & pars iustitiae immanentis. Neque quicquam fuit eiusmodi Sanderus disputandum. Sed quid hoc ad rem? Non enim iustificamur apud Deum, tanquam per formalem causam; per id, per quod in nobis manet Christus; sed tanquam per instrumentum.

CAP. IV.

Argumenta Papistarum ex aliis Scripturis.

I. **H** loci fuere ex sola ad Romanos Epistola. Colligam nunc alium de Bellarmino, ex prioris ad Corinthios 6. *Et haec quidem fuisistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Hinc geminum argumentum. Si iustificatio est ablutio, & sanctificatio: ergo non est sola remissio peccatorum, sine interna sanctificatione. Probatum antecedens, quia Paulus, iis verbis, docet homines in Baptismo per inuocationem nominis Christi, & operationem Spiritus, purgari & sanctificari. Testes, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus. Illud autem est, iustificari. Itaque, necesse est in iustificatione vtramque esse, & purgationem, sive abluitionem, & sanctificationem. Hoc argumentum breuior omisit: alterum exscripsit. Imputatio non eget inuocatione nominis Christi, aut virtute Spiritus. At Apostolus dixit, Corinthios fuisse ablutos, sanctificatos, iustificatos, in nomine Christi, & in virtute Spiritus: Ergo iustificatio non est imputatio iustitiae.

II. Atqui primum ex calumnia illud est; iustificationem esse sine interna sanctificatione. Longe enim aliud est quod dicimus, rationem iustificandi non esse in interna sanctificatione: quòmodo, etsi fides non sit absque charitate, tamen natura fidei non est ipsa charitas. Quod saepe dictum, importunitas Sophistarum cogit saepius repeti.

III. In priori argumento, negatur antecedens. Non enim Paulus dixit, iustificationem esse abluitionem, & sanctificationem, sed tria distincte nominauit; ablutos, sanctificatos, iustificatos. Neque quicquam exprobat, vnde colligas, iustificationem esse abluitionem, & sanctificationem: potius, quam abluitionem, esse sanctificationem & iustificationem: sicut interpretati sunt, Pifcor, & Scharpius, ad solutionem huius argumenti: ut verbo abluendi significetur vtrumque Christi beneficium; videlicet, sanctificatio, & iustificatio: quae vtraque in Baptismo representatur, à quo videtur abluendi sumptum vocabulum. Quinquam à hoc quidem certius, quam quod maluerunt Chrysostomus & Oecumenius gradationem esse, *ἢ πρὸς τὸν Θεόν, ἢ ἐν τῷ ὕδατι, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸν ἰσχυρὸν ἐπιλοιοῦν ὁ Χριστὸς καὶ τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς, καὶ ἡμεῖς τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς τὸ πνεῦμα: Etatis, inquit, ea qua dicta sunt: sed mundos effecit Christus: neque hoc tantum, sed & sanctificauit: neque hoc tantum, sed etiam iustificauit.* Quinquam ne haec quidem gradatio venisimilior, quam Caluini sententia, exillimantis eandem rem varie significari per abluitionem, & iustificationem: quia scilicet, iustificet nos Deus, dum peccata non imputando, liberat à reatu & purgat, dum peccatorum memoriam abolet, sed sanctificat aliter: nempe, vitiosam vitam reformando.

IV. Quicquid horum verum sit, tamen falsum est antecedens Bellarmini; quo ponitur, iustificationem esse sanctificationem. Et, si haec dicenda sunt, tū nihil est necesse, vtramque consistere in interna sanctificatione: quod si non obtinet Sophista, causa cadit.

V. Nec vero probat. Nam, primo, non est certum, Paulum docere, ea fieri in Baptismo. Et Chrysostomum, Oecumeniumque in eam rem falsò testes citauit Iesuita. Solus dixit Ambrosius, *Hac omnia beneficia puritatis, in Baptismo consequuntur noscuntur, quod est fundamentum Evangelicae veritatis.* Secundo, quid inde conficitur? Anne, idem esse sanctificationem, & iustificationem? Quomobrem? Imò Ambrosius diserte, *Omnia haec: ergo non vnum.* Nos sane docemus in Baptismo significari, & iustificationem, & sanctificationem: & distinguimus tamen, imò suis definitionibus, disparamus hanc ab illa.

VI. Ad secundum: Nullam inuocationem nominis Christi Paulus nominauit, sed dixit, *Iustificati estis in nomine Domini Iesu.* Sen-

sum expressit Oecumenius, *ὅτις ἄλλ' ἢ Χριστῷ, καὶ ἢ πένιμτος ἢ ἀλλ' ἄλλ' ἢ τῷ Θεῷ, τὸς ἀρετὰς αὐτῶν ἀλλ' αὐτῶν αὐτῶν αὐτῶν*. Quasi dicat, per Christum, & Spiritum: non per hunc & hunc, præsides eorum rursum inueniens, sapientes illos, & diuites. Salmero, *In nomine Domini nostri Iesu Christi: ut Mediatoris, & Redemptoris, per quem nobis tanta proueniunt.* Iustinianus, *illa, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Baptismum indicant, qui, Christo nomine, hoc est, autoritate, atque imperio tribuitur.* Non igitur significatur inuocatio, quæ fit à nobis, sed ipsius autoritas Christi, siue officium Mediatoris: nempe, quia non est datum aliud nomen sub cælo, per quod oporteat quenquam seruari. Fallit ergo Bellarminus, cum pro nomine substituit inuocationem nominis.

VII. Ex Epistolæ ad Titum 3. *Cum apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, ut, iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem uitæ æternæ.* Argumentum Bellarmini. Regeneratio, renouatioque formaliter fit per donum aliquod inhærens. At iustificatio est regeneratio, & renouatio, Dei benignitate, per lauacrum Baptismi & effusionem Spiritus Sancti, in nobis facta. Ergo iustificatio formaliter fit, per aliquod donum inhærens. Minorem probat, quia Apostolus hanc ipsam renouationem iustificationem appellat. Id enim significat illud, *ut iustificati gratia ipsius: heredes simus secundum spem uitæ æternæ.* Reddit enim causam, cur nos Deus per lauacrum, & Spiritum sanctum regenerauerit: & ait, causam fuisse, ut iustificati heredes regni ac uitæ sempiternæ effici mereamur.

VIII. Respondeo; concedi maiorem: ut ne se frustra torqueat Sophista in colligendis argumentis rei non controuersæ. Sed negari minorem. Quid enim est, in verbis Pauli, unde is sensus inferatur? Imo admodum distincte finis separatur à medio. Finis est, ut iustificati gratia ipsius, simus heredes uitæ æternæ: medium, est lauacrum regenerationis Spiritus. Nimirum ita est; & tota Scriptura hanc œconomiam inculcat. Iustificatio per fidem causa est, cur simus heredes: medium ad hereditatem, sanctificatio est nostra. Sed non propterea non distat iustificatio à sanctificatione.

IX. Intellego causam reddi: sed cuius rei? Ut iustificati heredes simus. Recte. Non ut iustificemur, sed, ut iustificati simus heredes. Non ut mereamur effici: non enim tam Papistice didicerat Apostolus loqui: sed ut efficiamur: Hoc saltem verum; sanctificari nos, ut iustificati heredes simus. Nam quicquid in nobis fit, eo tendit: non tamen est causa formalis; per quam iusti simus. Imo diserte, ut gratia iustificati: ergo non ex operibus: tum enim inhærens esset iustitia per quam iustificaremur. Sed si gratia: ergo imputata. Breuiter illud, *iustificati nempe per eam regenerationem ac renouationem*, glossema est Bellarminicum: *Apostolus contra, ut iustificati gratia ipsius*.

X. Ex ad Hebræos undecimo: ubi testatur Apostolus aliquos homines fuisse vere & absolute iustos. Abel, *testimonium consequutus est esse iustus.* Noe, *iustitia qua per fidem est, heres est constitutus.* At hi vere iusti erant, non imperfecte, & inchoate, sed absolute, & perfecte. Probat primo, quia Scriptura non vocaret eos absolute iustos, si non essent: secundo, quia perfectos & immaculatos appellat, Geneleos sexto; Psalmo 119. Rursum, eorum iustitia non erat Christi iustitia imputata, sed illis inhærens & propria. Probat, quia iustitia operum est inhærens: ast eorum iustitia fuit operum: Hoc probatur; quia de Abel pronuntiat, *Testimonium perhibente Deo muneribus eius.* Noe fuisse iustum probat, quia credidit, timuit iudicium Dei, obediuit mandatis Dei. Et Geneleos 6 dicitur iustus, quia ambulauit cum Deo. Similiter Lucae 1. Zacharias & Elizabetha iusti coram Deo, quia incedebant in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.

XI. Respondeo. Primo, Assumptionem esse falsam: Nam fuisse illos, aut omnino quenquam, præter Christum, absolute & perfecte iustos, iustitia illa inhærente, prorsus alienum est à Theologia: quod alias disputatum est, huius tomilib. II. ut nunc non oporteat curiosus excutere: nam etiam probationes fuerunt refutate.

XII. Secundo, argumentum est misere sophisticum. Concedo, Abelen & Noe laudari à iustitia, iustitia etiam operum, si velis. Sed quorsum id? Nam conclusio debet inferre: Ergo quidam fideles: vel si malis: Ergo omnes fideles iusti sunt iustitia operum. At hæc nulla nostra quæstio est. Et sæpe diximus, alteram partem Christianitatis, esse sanctificationem. Itaque, non negamus aliquam iustitiam fidelium, esse iustitiam operum. Imo, si nulla sit iustitia operum, negamus vllum esse fidelem. Debuit autem concludi, omnem iustitiam fidelium esse inhærentem: quod quomodo educatur ex antecedentibus, videre nondum potui.

XIII. Intellego eam ob causam addi, eorum iustitiam fuisse, non imputatam, sed inhærentem. Ast hoc quo sensu? Nam, vel vniuersaliter: nullam eorum iustitiam fuisse imputatam: vel definite; eam iustitiam operum, à qua laudantur, non fuisse imputatam. Hoc si est, quid ad rem? Non, si illa non fuit imputata: non propterea nulla. Sin autem illud, falsum ponitur, & petitur principium: hoc enim ipsum disputatur. Et nos asserimus, nullum vnquam fuisse fidelem, iustum sola iustitia inhærente.

XIV. Porro, mens Apostoli non est obscura. Laudat eos viros, non à iustitia simpliciter, sed à iustitia fidei. Atque adeo hæc propria eius thesis: cui illustrandæ seruiunt exempla illa testium, quorum tantam nubem inducit. Inde, *per fidem Abel: per fidem Enos: per fidem Noe: per fidem Abraham.* Et deinceps. Imo, *Fieri non potest, ut sine fide quisquam placeat Deo.* At qui fidem impossibile est dari, ut non detur eadem opera, imputata iustitia. Imo illud, *per fidem placere Deo*, est ipsissima iustitia imputata. Quare non dubitant veri Theologi hos omnes à Paulo enumeratos fuisse iustos per imputationem: & id nominatim velle hæc verba, *Eius, qua ex fide est, iustitia factus est heres.*

XV. Sed hanc fidem Paulus demonstrat ex operibus. Nam, quis ne-

scit, ab effectis probari causam? Præscripsit Iacobus, qui & fidem voluit ostendi ex operibus: & absq; iis esse mortuam. Imo, ipse præscripsit Paulus; fidem operari per charitatem. Atqui, si effecta sunt inhærentia, non tamen necesse est, causam esse. Nam, quis nescit, multas causas extra nos positas, tamen operari in nobis?

XVI. Hæcenus Bellarminus. Nunc Sanderus esto. Ex ad Philippenses 3. Paulus de iustitia fidei nominatim tractans, optat, *se in Christo inueniri, ut habeat, non uam iustitiam, qua ex lege est, verum illam, qua ex fide est Christi.* Hinc illi geminum argumentum. Prius. Optat habere iustitiam quæ ex fide Christi est: Ergo illa haberi potest; nec est talis, quæ solum imputari, sed etiam debeat inhære. Ratio consequentiæ: quia vult habere illam, ut ante habuerat iustitiam legis, quam utique inhærentem habuerat.

XVII. Respondeo, negari consequentiam. Nam, cur non dicatur haberi, quod imputatur, & quidem ex Dei decreto? Nam & hodie, cum gratias in foro civili appellamus culpæ condonationes à principe, quod non fit nisi per imputationem; tamen nemo est, qui se non dicat habere gratiam suam, ita enim loqui mos est. Et Paulus ad Rom. 5. quorundam hanc ipsam iustitiam appellauit, donum gratiæ: Nimirum, inquam, habetur, sicut datur: datur per imputationem: habetur per imputationem.

XVIII. Sed probatio consequentiæ vehementer falsa est. Primo, dicere Paulum, se habuisse vnquam iustitiam suam ex lege. Quomodo id ille diceret, qui negauit posse quenquam iustificari ex lege? Secundo, sic velle habere iustitiam ex fide, quomodo habuerat iustitiam ex lege. Vult ille habere iustitiam ex fide, non iustitiam ex lege: Ergone sic habere ex fide, quomodo ex lege? Quandiu monendum mihi erit hoc genus hominum, ut cautius agant Sophistas; neq; se putent carnes crudas comedere, qui crudas emerint?

XIX. Alterum argumentum, notatu illi dignissimum; hanc vim habet. Quæ iustitia per partes apprehenditur, ea est inhærens. At eam iustitiam Paulus per partes apprehendit: Ergo est inhærens. Probat assumptum: quia, si totam habuisset, ergo non optasset habere: at hic optat habere: ergo nondum totam habebat. Præterea: si totam habuisset, ergo iam comprehendisset: at negat se comprehendisse, sed contento cursu ferri, ut comprehenderet, ad Philipp. 3.

XX. Respondeo; maiorem concedi: re vera talem esse iustitiam fidei, ut simul & semel tota habeatur: itaque, quæ per partes acquiritur, eam inhærentem agnoscamus. Sed negari assumptum. Ipse enim contra, prior ad Timotheum 1. *ὡλλ' ἰδὴ θλῶ, sed misericordiam consequutus sum, ὑπερᾷον ἰσχυρῶς, superabundauit gratia Domini nostri.* Et ad Romanos 5. *iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum.* Et mille aliis locis. In probatione priori sumitur falsò, Paulum optasse habere eam iustitiam: sed optasse inueniri habentem eam iustitiam: nimirum, tum cum excipiendum erit præmium: atqui hoc votum non significat, eum non habuisse tum, cum oportere, sed potius, se cupere tum habere, eam quam iam habebat, cum oportere omnes comparere apud tribunal Christi. In altera probatione, negatur consequentia: quia comprehendere, non de iustitia dicitur imputata: sed de consequentibus eam: siue ea sit iustitia operum, in qua nemo dubitat in dies esse proficiendum: siue ipsum præmium, quod expectandum est post hanc vitam.

XXI. Ex ad Ephesios 2. *Dei enim factura sumus, creati in Christo Iesu.* Nemo iustificatur in Christo, antequam creetur in Christo. Qui autem creatur in Christo, nouus fit homo: Ergo iustitia & vera sanctitas, in qua creatur, vere est in nobis: nec per quicquam, quod eam præcedat, iustificari possumus.

XXII. Respondeo, sumi falsum; neminem iustificari, antequam creetur in Christo. Contra potius verum, neminem creari in Christo, nisi iustificatum in Christo. Etenim iustificatio causa est omnium aliorum beneficiorum Dei in nos. Nam hæc beneficia sunt ex amore Dei: at Deus neminem regenerat, nisi adoptatum in Christo: quia extra Christum, nihil in nobis est, præter peccatum: adeo ut non possumus non odio esse.

XXIII. Ex post ad Cocin. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Ergo nos iustitia efficiamur, non per imputationem, sed re ipsa. Probat consequentiam. Primo: Quomodo Deus Christum effecit peccatum, sic nos iustitiam. At illum realiter peccatum, id est, hostiam pro peccato: Ergo & nos iustitiam. Deinde; Si Dei iustitia nullam in nobis radicem ageret, nullamq; sedem fortiretur: ergo non diceremur effecti iustitia Dei. Probat consequentia. quia quod efficitur quis, id omnino est in illo.

XXIV. Equanti sit Sophistam institui! Nam, nos quidem ad Sophisticum nec nati, nec facti, vel ex hoc vno loco confidebamus posse stabilire imputationem iustitiæ: quem iste locum nunc tam confidenter in nobis eripuit. Sed bene est, quod infirmior sit in Ecclesia sophisticæ, quam in syluis audacia. Nos igitur consequentiam negamus: & contra; si nos propter Christum factum peccatum, efficiamur iustitia Dei in ipso: ergo per imputationem: ut suo loco videbimus.

XXV. In priore confirmatione; primo, verba Pauli non sunt, sic nos factos esse iustitiam, quomodo ille peccatum. Sed duntaxat, illum factum peccatum, ut nos efficeremur iustitia. An vero, cum Paulus, primo ad Romanos, desiderabat venire, ut Romanis impertiret aliquod donum spirituale: eodem modo se sperabat impertiturum, quo & venturum? Sed semper Sophistæ ita fallunt à re ad modum rei; *ὡς ἂν ἐπὶ ἡμῶν*. Quomodo Christus sit factus peccatum, alias videbimus. Deinde, etsi concedamus sic fieri nos iustitiam, quomodo illum peccatum, tamen quid vrget, ut peccatum non capiamus aliter quam pro hostia? & Christum factum imputatione peccatum? Imo illud ipsum peccatum, id est, hostiam, pro peccato, non potest aliter: non enim hostia est, nisi cui peccatum alienum imputatur.

XXVI. In posteriori confirmatione: si illa, *radicem in nobis agere, & sedem fortiri*, intelliguntur de inhærentia; negatur consequentia. Et negatur, quod quis efficitur, id omnino esse in illo. Nam plurimas dabimus mutationes, quæ sic fiunt, ut tamen nihil recipi fiat, in eo qui sic dicitur mutari: Puta in relationibus. Exempli gratia, cum Herodes & Pilatus facti sunt

sunt amici, nulla alterutri noua qualitas accessit, sed tantum noua relatio. Aut si in eo exemplo aliquid est ambigui, certe cum Ephraim & Manasses nati Iosepho patre, facti sunt filii Iacobi, Genes. 49. nihil ipsi quidem mutati sunt in seipsis: & tamen vere facti filii Iacobi, per adoptionem. Et cum reus absoluitur in iudicio humano, nihil ei noui accidit, quod quidem in ipso sit: siue sit innocens: quia iustitia in eo iam erat: siue nocens: quia non propterea sit innocens: & tamen definit esse reus: & sit absolutus. Qui tibi sinister erit, si mutes locum, fiet tibi dexter: nec in eo quicquam fit tamen noui; & tamen vere fit dexter. Quid plura? Mille sunt eiusmodi.

XXVII. Et Ioannis 7. *In die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens, Si quis sitiet, veniat ad me, & bibat.* Quarto, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aqua salientis in vitam aeternam: & flumina uiuentis aqua de ventre eius fluent.* Si nullus iustificatur, antequam bibat de aqua Christi: ergo iustificatur omnes per inhaerentem gratiam. Probat consequentia: primo, quia nemo bibit, nisi hauriendo, id est, intra se accipiendo gratiam spirituales. Secundo quia si in eo sit fons: ergo est ei intus, ac proinde inhaerens.

XXVIII. Respondeo, negari antecedens. Nam, bibere de aqua Christi, pertinet ad sanctificationem: teste ipso Euangelista, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Non dum enim erat Spiritus Sanctus: quia Iesus non erat glorificatus.* Quid clarius? Illa aqua erat Spiritus. Is Spiritus non erat: Ergo, neque ea aqua. At erat iustificatio: nam si non fuisset, ergo nulli credentes fuissent adhuc iustificati. Erant autem iustificati. Hoc probat, quia iam erant iis remissa peccata. Math. 9. *Cum uidisset Iesus fidem eorum, dixit paralitico, confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Lucae 7. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Si ergo nondum erat aqua illa Christi: & erat tamen iustificatio: Ergo aliud illa est: aliud haec: & ridicule Sanderus arguitur.

XXIX. Ex Ioan. 9. *Si Filius uos liberauerit, uere liberi eritis.* Nemo iustificatur, antequam liberetur: nec vere liberatur, antequam per Dei gratiam in se habeat iustitiam Dei, cuius impulsu eligere possit bonum, & declinare a malo: Ergo nemo iustificatur, antequam habeat in se iustitiam Dei.

XXX. Respondeo: Liberos dici fideles a peccato, dupliciter: uel a damnatione peccati ad Rom. 8. *Nulla igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu: id est, qui non secundum carnem incedunt: sed secundum spiritum.* Nam lex spiritus uita, qui est in Christo Iesu, liberat me a lege peccati & mortis. Vel ab imperio peccati: ad Rom. 6. *Peccatum uobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Priori ergo sensu, concedo neminem iustificari, antequam liberetur: quia ipsum iustificari, est liberari. Sed nego, liberari neminem antequam habeat in se iustitiam, cuius impulsu eligat bonum. Contra enim, nemo hanc habet iustitiam, nisi prius, ratione saltem, si non tempore sit liberatus. Altero autem sensu, concedo neminem liberari, antequam habeat in se eam iustitiam, saltem inchoatam: sed nego iustificari neminem antequam sic liberetur. Nam, qui est in carcere, nunquam educitur inde in libertatem, prius quam est a iudice absolutus. Omnino absolutionem, id est, iustificationem praecedere oportet: siue ea sit ex praescripto legis: siue ex indulto gratiae. Et uero in Curia Romana, nonne oportet dispensationem, quam uocant, praecedere: tum irregularem admitti ad ordines? Mirum genus hominum! tam tenax sui iuris: (ius enim putant, & appellant) uelle tamen frui homines beneficiis diuinis, antequam admissi sint in gratiam? nisi per ipsam beneficiorum fruitionem. Nam his oportet mentem esse liberatam.

CAP. V.

De uoce iustificandi.

I. IN eum modum disputabant Papistae ex Scripturis. Deinceps a ratione. Et prius a nomine; deinde a re. A nomine geminam rationem habent. Priorem a iustificatione: quam sic concipio, Omnis mutatio fit in formam inhaerentem. At iustificatio est mutatio: Ergo fit in formam inhaerentem. Vtramque antecedentis partem Costerus sufficit. Maiorem. Omnibus in mutationibus, aliquid datur aetione, & accipitur a passione: habentque nomen a termino ad quem tenditur, hoc est, a forma, uel a qualitate, quae acquiritur: calefactio a calore: dealbatio ab albedine: iustificatio a iustitia: quod cum omni motu & mutatione solenne est. Minorem. Iustificatio proprie mutationem significat ad iustitiam, sicut calefactio est motus ad calorem: similis ratio est, frigeactionis, dealbationis, & similibus.

II. Respondeo, maiorem non esse uniuersalem. Mutationes enim aliae reales sunt, aliae duntaxat & relatiuae. De realibus, potest maior concedi: & eo pertinent exempla calefactionis, frigeactionis, dealbationis: in quibus non tantum qualitates praecedentes re uera amittuntur, ut acquirantur nouae, & inhaerentes; sed etiam ratio mutationis: in ea ipsa consistit mutua qualitatum expulsione. Sed inepta est consequentia, a quibusdam ad omnes: & quam male concludas, Angli, Germani, Galli, candidi sunt: ergo omnes homines: tam male Costerus dixit: calefactio, frigeactio, dealbatio, terminum habent formam aliquam, siue qualitatem inhaerentem: ergo & omnes mutationes.

III. Excipiendas enim dicimus, aut omnes, aut certe plurimas earum, quarum tota natura est in acquisitione relationis. Harum enim non sunt paucae, in quibus nec ulla praecedens forma aboletur: quia terminum a quo, nullum habent, praeter meram priuationem relationis: neque uero ulla etiam succedit, sed sola acquisitio relationis. Videlicet ut non habeat res mutata, ipsa se aliter in se; sed tantum aliter ad correlatiuam. Memini paulo ante proferre quaedam exempla: nunc iterum pauca: nec enim res est difficilis. Abrahamus, Isaacus, Iacobus, & absentes, & longe positi, & ignari, fiebant sacerdoti; primus Rebecca, Genes. 24. alter Lia & Rachelis 29. tertius Aescrae. 41. Paulus ad Galat. 4. *Num inimicus factus sum uobis?* Ille ergo olim Galatis tam carus, quam oculi, mutatus est, & factus inimicus. Mutatus inquam: non in se, uel, quem cumque tandem dicas, mutationis modo; sed tantum nouam acquisiuit relationem ad Galatas: in eo positam, ut qui

amabatur, non amaretur. Quod non similiter dixeris, cum Act. 9. uel ex uidente factus est caecus: uel ex caeco, rursus uidentis.

IV. Quae cum ita sint, controuersia nodum hunc esse oportet, utri mutationum generi adscripturi simus iustificationem. Imo aduersarios necessesse est syllogismum corrigere, & dicere: Omnis mutatio realis, fit in formam inhaerentem. At iustificatio, est mutatio realis. Sed tum nos negabimus minorem: plusculum, fatemur, importuni bonis Sophistis: sed quid agas? Non est enim aequum, rustico pudore, & tantum, ne quid non gratum Sophistis faciamus, male prodi ueritatis causam.

V. Nam quod opponunt etymologiae subtilitatem, a iusto faciendo, quomodo ab albo atrigido faciendo: ignoscant boni uiri; si regeramus; primo, non esse perpetuum, ut haec compositio significet acquisitionem qualitatis inhaerentis subiecto. Certe lucrifacere, eadem compositionis ratione factum. Et dixit Cicero, *Vertina s. Omnem ex arario pecuniam lucrifacere.* Et in una emptione lucrifieri tritici modios centum. Quis tam hospes in iustitia commutatus; ut dicat, illi pecuniae, illi tritico aequitatem esse nouam qualitatem intinam: & non potius externam relationem; ut huius esset, cuius antea non erat.

VI. Secundo; hoc iustificandi uocabulum, nullo in usu apud prophanos autores, & proprium duntaxat uisibus Theologicis, iudicandum esse ex sacerorum autorum frequentatione; potius, quam ex Grammaticarum *μικροφιλολογία*. Exemplo illustrabo. Magnificare prorsus eandem, Prisciano iudice, analogiam habet; quam hoc nostrum iustificare. Hanc consule: nemo non iuret, magnificare aliquid, non alio modo dici, quam quo calefacere, frige facere: nimirum, ut qui in se paruus erat, fiat in se magnus; acquisitione nouae quantitatis. Atqui dico, neque unquam occurrere id uerbi apud prophanos autores: & non a Grammaticis, sed a Theologis petendum, quo sensu dicatur, Lucae 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Toletus in eum locum, *Homo Deum magnificat, non quidem eum magnum faciendo, nihil enim homo Deo conferre potest, quo maior fiat, sed magnificat laudando, predicando magnitudinem, quae in illo est.*

VII. Enimvero quid iuuat *λογίζεσθαι*, cum ipsi cogantur, saltem *μικροφιλολογία* agnoscere? Significat (uerba audies Tapperi) non solum iustitia imbui, donari, ornari (ea significatio est Grammatica), sed etiam iustum pronuntiarum, declaratum, comprobatum, ac deputatum. Idque, non ille tantum agnouit, sed ne alii quidem, Bellarmini Salmerones, Sanderi, Andradii, aut ignorarunt, aut distulularunt. Quare, frustra est illa Grammaticae proprietatis *επιχρισίς*. Nam ea si obinet, uacat ambiguitas; si certa est ambiguitas, subiecta est Grammaticatio.

VIII. Posita ergo ambiguitate, superest disquirere, utra notio huius nostro argumento prior. Nos quidem illam dicimus, quae deputationis est, siue imputationis: tum ex usu Scripturae, mutato ab usu forensi, tum ex re ipsa, quae nobis ita describitur in Scripturis, ut tolerari non possit illa de inhaerente iustitia opinio. Sed utrumque hoc suo loco extendetur. Audiamus, quid aduersarii habeant, ut hoc uocabulum suae vindicent inhaerentiae.

IX. Andradius. Quae sit iustitiae ratio, ac qua in re iustificationis uis potissimum posita sit, non tam ab Hebraicae linguae proprietate, quam ab apertissimis Scripturae locis, quae iustificandi ordinem, ac rationem, iustitiaeque ipsius uim & naturam tradunt, accipiendum est.

X. Et uero aequum postulat, nec nos abnuimus. Imo, si hac parte superemur, non reculamur herbam porrigere. Sed primo, debuit ergo Andradius, suae fidei conficios admonere, ne grammaticae proprietati confiderent. Cur enim illi nobis insultent impune, argumento inde sumpto, nobis non liceat prouocare ad usum Scripturae? saltem homonymiam distinguere? Deinde, nullum esse in eo uocabuli usu ex Scripturis obseruato, nobis praesidium; nego. Est enim, ut omnia reliqua detrahant, saltem uerisimile, conseruandam significationem uisitatissimam, potius quam quaerendam alteram longe infrequentiorem.

XI. Fallitur enim: profecto fallitur Andradius, si putat ex aequo comparari posse eas duas eius uerbi notiones. Nam, ad illam inhaerentiam, qui certo pertinet, ego locum nullum obseruauit, praeter unicum ex Danielis 12. *Qui iustificauerint multos* (ita enim Hebraice, pro quo in uulgata editione, *qui ad iustitiam erudierint*) *fulgebunt sicut stella.* Et alterum ex Apocrypho Syracida 18. *Ecclesiastici, Ne uereris usque ad mortem iustificari: uel potius ex Graeco, Ne differo usque ad mortem iustificari: μη μενεύεις θανάτου διενεωθῆναι.* Et tertium ex Apocalypsi, *Qui iustus est, iustificatur adhuc.* His exceptis, audacter dico non posse dari alium.

XII. Nam illud ex 1. Ecclesiastici, *Religiosi, ac custodiet, & iustificabit cor:* in Apocrypho quidem magis momenti. Non enim inuenitur Graeco. Ianienius, *Hac omnia* (duos integros uersus recitauit) *non sunt in Graeco: & sunt ea dem pauca tantum uerbis mutatis, cum his quae mox dicta sunt: uel ex alia cuiuspiam uersione, uel commentario alicuius margini adscripto, deinde in contextum sine relata: quem admodum de multis huius libri sententiis apud nos factum apparet.* Et nos id pro Dei uerbo admittamus? Praeterea; ipsum illud iustificare incertum. *Quidam libri,* inquit Ianfenius, *pro, iustificabit, habent uiuificabit: sic enim legit Dionysius.* Egregie. Neque uox certa, neque locus ad id, neque liber canonicus.

XIII. Maius pondus in Ebraice 53. *In scientia, iustificabit ipse iustus seruus meum multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Sed quid habet incommodi si intelligatur ex usu forensi? Aut, cur non facillimus sensus, in scientia sui, id est, qui ipse scitur, siue cognoscitur, id est, in fide, siue per fidem (nam phrasia Hebraica significat causam maxime instrumentalem) iustificabit Christus multos; id est, efficiet, ut acceptentur a Deo pro iustis? Nam id manifesto indicat illud subiectum; *iniquitates eorum portabit:* quod non potest, nisi de peccatis intelligi, quas ille luit pro nobis: ac proinde de imputatione.

XIV. Et tamen subtilitates audiamus, & expendamus Bellarmini. Quatuor, inquit, uocabula manifeste repugnant, quominus intelligatur ad usum forensium. Primum, *in scientia sua*, deinde, *ipse iustus*: tertio *seruus meus*: quarto, *iniquitates eorum portabit*. Ita me Iesuitae amant, mihi que sint propitii, ut aeco scire, quid hoc sit notae subtilitatis.

XV. *In scientia sua.* Id, inquit, significat, interprete sancto Hieronymo, Christum uariis modis iustificasse homines: atque unum ex iis modi.

facile doctrinam. Qui autem docendo iustificat, certe non iudicis more iustificat.

XVI. O scelus! Itane initium subtilitatis à mendacio, ab impostura. Varios modos iustificandi: vnum ex iis modis scientiam, nullus dixit, nullus scripsit, nullus somnauit Hieronymus. Tantum scientiam, mutauit in doctrinam. Et tamen, videte confidentiam. Id significat, interprete Hieronymo, Christum vanis modis, & quæ sequuntur. Diceret tamen ea verbis legisse in Hieronymo. O Iesu, quam vobis fertile peccus imposturatum. Ethic quidem tanto indignius, quanto minus id, quicquid est, gratis fuit, & inutile: nec nisi ad pompam. Sed ad rem. Qui docendo iustificat, certe, non iudicis more iustificat. Quid hoc ad rem? Nos n. hoc non dicimus nec sequitur, si vsus sit forensis, ideo designare iudicis more. Ratio facilis, quia in foro non tantum iustificat iudex; sed & aduocatus, sed & intercessor apud iudicem. Quid ergo nostra? si in ea iustificatione Christus non fungitur vicis iudicis: dummodo efficiat, vt apud iudicem iustificet? Sic Paulus dixit, ad Rom. 8. non tantum, *Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus is est, qui iustificat*: quod pertinet ad personam iudicis: sed etiam, *Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est*: quod ad Mediatorem, & imputationem significat.

XVII. *Iste iustus*. Qua voce significatur, Christum, non solum docendo, sed etiam iuste operando, ac nobis iustitiam suam impartiendo, iustificare. Porro, non requiritur ad iustificandum more forensi, vt is iustus sit, qui alios iustificat: sed necessario requiritur, vt is iustus sit, qui bene operando iustificare debet.

XVIII. Imo Ierusalem. Nam, iustus non designat modum vllum iustificandi: sed delectat metamen, quicquid hoc explicationis est, tam ex veritate rei. Enimvero, si ipse operando iustitiam, iustificauit alios, miser equidem, quomodo negari possit imputatio. Nam iustitia operum, eius est, qui operatur: neque vlla ratio fingi potest, quomodo ea illius iustitia alius quisquam iustificati possit inhærenter. Sed non requiritur, inquit, ad iustificandum more forensi. Imo, inquam, fallum vt prius. Quia, *si iustus est, non potest iudicare*: mutuo sumptus à foro. At cum *is iustus est, oportet ipsum seruare per iustitiam suam*: ideo bene operando: vnde necesse est, eandem esse iustitiam, & vno verbo, seruam Dei. Vnde Paulus, ad Rom. 8. *Quis legis impotentia nihil posset in carne, Deus, suo ipsius Filio misso, conformato carni peccato obnoxia, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne: vt illius ius legis compleatur in nobis*. Quid ergo obstat, quominus hoc & iustificare, sit ab vsu forensi?

XIX. *Seruus meus*. Significat hæc vox, Christum seruasse Deo Patri in opere iustificationis: ac per hoc iustificasse homines, non iudicando, sed ministrando. Matthæi 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*.

XX. Nihil hæc quidem dici potuit verius. Sed, vt prius, cur non potuit, qui iustificauit ministrando, iustificare, sumpta similitudine ex iustificatione fori? Nam, dare animam suam pro multis, inde traductum est, velit nolit Iesu. Filius sponsor est: Pater iudex: sponsonem sua ille iustificat nos apud Patrem, ministrando: & ex ea sponsonem Pater absoluit nos, id est, iustificat, iudicando.

XXI. *Iniquitates eorum portabit*: id est, licet pœnam nobis debitam. At, non ita iudices iustificat, vt pro eis pœnas lutant. Ergo iustificare, hoc loco, non sumitur more forensi.

XXII. Similis *duos iudices*, siue potius, *duos iudices*. Quasi nullæ essent in forensi iustificatione partes, nisi iudicis. Sed contrahit pœnas pro nobis. Quomodo? Fortuitone, & temere: an pœnas impositas peccatoribus per legem? Exempli gratia: cum iudex ille Pater, sibi vnum, alterum filio oculum erueret, quæ legem ambo debebat filio: vbi pœnas luebat pro filio: nonne in foro? Ergo forensis fuit actio: & ab ea actione, filius liberatus à pœna, saltem tanta. Et qui vadimonium pro altero promisit, nonne sistit apud iudicem, & damnatur pro eo? Ergo etiam hic actus forensis. Quare, est Christus nostra peccata portans, non tanquam iudex, sed tanquam vas: tamen, quia eo ipso iustificauit nos: ideo necesse est, iustificationem illam dici ex vsu forensi.

XXIII. Redeo ad rem. Ergo, in vniuersa Scriptura, duos omnino locos habent Canonicos; vnum, aut (si placet addere, illum ex Ecclesiastico primo) duos Apocryphos: in quibus, iustificare aliter sit quam ab vsu forensi. Reliqui igitur omnes à nobis sunt. Quo iure autem eogent nos Papistæ, ab hoc communi, tritoque vsu discedere; vt hæreamus vni, aut alteri, aut certe tertio: & vt plurimum, quarto loco? Næ illi non sobrii, cum iubent: nec illi sani, qui obtemperant.

XXIV. Nec tamen putarunt sibi deesse effugium, aut Bellarminus, aut Beccanus. Etenim aiunt, Quando Deus iustificat impium, declarando iustum, facit etiam iustum. Quoniam iudicium Dei secundum veritatem est. Itaque, siue Christus per obedientiam, siue per iudicium suum nos iustificet, semper facit iustos.

XXV. Respondeo: Deum nos & iustificare, & iustos facere: verum, non eadem ratione vtrumque: imo iustificare prius: post, iustos facere. Nos vero non hoc querere, vt iustos faciant necesse: sed vtrum eo iustificet, quo iustos facit. Itaque nihil apte responderi.

XXVI. Iudicium Dei fatore esse secundum veritatem. Sed esse generaliter actum iudicis pronunciantis ex autoritate. Cæterum, pronunciantur dupliciter: vel ex formula legis: vel ex iudulito gratiæ. Formulam legis supponere declarationem iustitiæ inhærentis reo; vnde sumatur causa sententiæ. Indulitum vero gratiæ, declarationem iustitiæ imputatæ, ad suppleendum defectum inhærentis. Priori modo, dicitur iustificari iustus: altero a. impius: tanto discrimine, vt qui iustificatur secundum modo, debuerit damnari primo. Porro, non tantum formulam legis est veritas, sed etiam indulitum gratiæ. Quare, non sequitur vere, iudicium Dei est verum: Ergo ex formula legis, siue ex inhærente iustitia. Nimirum, quia omne iudicium Dei verum est. Et, iudicium Dei alias est ex formula legis: alias ex iudulito gratiæ. Breuiter, vere iusti facti sunt, quicumque iustificantur à Deo: sed aliter per inhærentem, aliter per imputatam iustitiam.

XXVII. Atque hætenus prius argumentum ex vi nominis. Nunc alterum, apud Sanderum. Est quidem etiam apud Tapperum, & Horantium;

sed apud hos languidius: apud illum violentius, si Euangelium Christi ignoramus, tamen ipse luminis, quod per naturam inest, obliuisci non debemus. Deus enim per omnes creaturas, quæ in mundo sunt, & per sapientiam suam super omnia opera sua diffusam, nobis reuelauit, quod omnes, & singula res, non modo sub oculos subiectæ, verum etiam quæ oculis corporeis cerni non possunt, denique; quod ipsemet immortalis Deus, ab eo tantum denominatur, quod in ipso inest, & non ab eo, quod alterius cuiuspiam forma existat. Non dicitur, dies tenebrosa, neque nox lucida: non arbor sensu, non asinus ratione præditus esse: sed nomina rerum sequuntur intimas earum qualitates & naturas. Itaque, Adam cunctas res corporeas appellauit nominibus suis: suis, inquam, non alienis. Et Ezechiel, 18. ait, iustitiam iusti super eum, itemque, impietatem impii super eum fore: eo ipso contestans, & iustitiam iusti esse in ipso iusto: & impietatem impii esse in ipso impio: & ideo iustum à iustitia sibi inhærente denominari. Hæc verba Sanderi sunt: argumentum sic contrahi potest in pauca. Omnis iustus nominatur ab inhærente iustitia. At omnis iustificatus est iustus: Ergo omnis iustificatus dicitur ab inhærente iustitia. Probatur maior. Quia, quicquid denominatur ab inhærente qualitate denominatur, non aliena. Et hoc probatur exemplis.

XXVIII. Respondeo, negari maiorem. Nam omnis iustus dicitur quidem à iustitia, at non necessario ab inhærente. Est enim quidam iustus iustitia imputata, de qua disputamus. Est & iustus aliquis iustitia comparatiua. Ezech. 16. *Et iustificasti sorores tuas omnibus abominationibus tuis, quas fecisti*. Et præmittitur ratio iustificandi: *Samaria non fecit dimidium peccatorum tuorum*. Ergo, inquam, Samaria illa iustitia, non fuit inhærens: sed ex comparatione. Non fuit, inquam, Samaria iusta, quia iuste egisset, id est, per inhærentem iustitiam: sed tantum quia cum male ageret, quæ est inhærens iniustitia, tamen minus male ageret, quam Hierusalem. Quam iustitiam, necesse est esse alterius cuiusdam generis, ab inhærente: ideoque non inhærentem. Non enim inhærente iustitia iustus est, qui male agit. Quare, falsa est in argumento maior.

XXIX. Sed & maioris confirmatio falsa. Est enim non inusitatum, res quasdam denominari à qualitate non inhærente: amplius dico, à qualitate aliena. Genes. 47. *Dies peregrinationis meæ sunt pauci, & mali*, inquit, Iacob. Malos, dixit, id est, calamitosos, miseros. Atqui, non dies ipsi, sed Iacob calamitosus. Eadem ratione Paulus, 5. ad Ephesios, *Quoniam dies mali sunt*. Chrysostomus, *quæ sunt mala? quomodo dies vocat malos? quomodo tempus malum? Non substantiam, aut creaturas: sed propter ea quæ sunt in ipsis*. Augustinus, de verbis Apostoli, sermone vigesimo quarto, *Dies malos dua res faciunt, malitia, & miseria. Per malitiam hominum, & miseriam, dicuntur dies mali. Cui molestia sunt tempora, si homines sibi non sint molesti: Iustinianus, Quoniam multa in hac vita mala moluntur homines, vnde dies mali appellantur: siquidem ab hominum moribus, varias fortuntur appellationes*. Viden' aliquid denominari ab aliena qualitate, non sua?

XXX. Quid ad meigitur, si peccator appelletur à propriis peccatis? si bonus à bonitate? si rectus à rectitudine? si sapiens à sapientia? si mille eiusmodi? Non est enim enumeratio sufficiens. Nam iustus, qui dicitur à iustificatione hac, de qua disputamus, alterius cuiusdam est ordinis: habens quidem nomen à iustitia: quemadmodum dies malus, à malitia: at non ab inhærente. Quomodo & in seculo, cuiusque à principe seculari donata est scelerum impunitas, quam vulgo gratiam appellant.

XXXI. Legi apud Ezechielem, *Iustitia iusti super eum erit: & impietas impii super eum erit*. Sed nego agi de iustificatione per gratiam. Imo de iudicio secundum legis præscriptum; per quam sua cuique opera, vel profunt, vel nocent. Id vero non obstat, quominus iustitia Christi sit super quemlibet credentem: ac proinde, dicatur aliquis iustus per alienam iustitiam, dummodo imputatam.

XXXII. Moquotus, c. 13. tom. 1. p. 2. Examini Bibliorum, §. 6. Homo, vel iustificat sicut Deus, vel aliter. Si prius: Ergo homo iustificaretur ex nullo bono præstito, sed imputando iustitiam Christi. Quod falsum: In enim dicitur vir bonus, qui bona præstet opera. Sin alterum: ergo duo erunt modi iustificandi, vnum Dei, per imputationem: alter hominis, per opera. Quod si est: Ergo homo iustificatus, vel bene iudicat, vel male. Si bene, ergo Deus fallitur: quia iudicium habet illi contrarium. Sin male: Ergo homo neminem iustificat.

XXXIII. Respondeo; nullum hominem sic iustificare, vt Deum. Ratio manifesta; quia iustificandi vocabulum vel Papistice dicit, efficere iustum: vel Catholice, absolvere peccatorem. Prius certum est esse supra hominis facultatem; nemo enim potest alterum quenquam iustum efficere, eum qui est nequam; nisi forte moraliter dissuadendo malum, persuadendo bonum: cæterum nihil agens in voluntatem eius, quæ libera est ab extrinseca causa: cum tamen Deus det, & velle, & perficere. Alterum nõ obcurius: cum prohibeatur diserte homini iustificare impium, æque ac damnare piuum. Itaque omnis legitima hominis iustificatio, ex operibus præcedentibus quam Papistæ fateantur longe aliter Deum iustificare.

XXXIV. Longe ergo verius, duos esse iustificandi modos, imo, non tam modos, quam generat. Est enim vocabulum *imputatio*; definiturque aliter atque aliter; solo propemodum sono remanente communi; vt in tauro quadrupede, & tauro sidere, & Tauro philosopho. Nunquam enim fieri potest, vt iustificatio per imputationem, eiusdem sit generis, cum iustificatione per inhærentiam.

XXXV. Sed hoc posito: Homo, inquit, iustificat, vel bene, vel male. Imo neutrum, inquam, si iustificare dicas efficere iustum. Quomodo enim dicas, bene vel male fieri, quod nunquam fiat? At, si absolueret à pœnis; nunquam bene, sed semper male: eo quod illi sit à Deo prohibitum. Sed si male, inquit, ergo neminem iustificat. Falsum, inquam. Quid enim? nihilne agit, qui male agit? qui, inquam, occidit, aut furatur. Certe iudex iustus vere iustificat, id est, absoluit à pœnis furem, quem debuit in crucem agere.

CAP. VI.

Varia Papiſtarum rationes.

I. **A** Re deinceps erunt argumenta. Primum apud Cuncerum. Quicquid fabulentur homines, non potest homo iustus reputari, qui legem Dei non custodit. Primæ Ioannis 3. *Filioli, nemo vos seducat: qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Ad Rom. 2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur.* Ezechiel 18. iustum virum describit prolixè ex operibus. Confirmat idipsum ratio nominis: quia iustum id est, quod legi, ac regulæ suæ in ordine ad finem bene respondet: & tale est, quale iuxta finem & ordinem suum, esse conuenit. Ergo Christianam iustitiam æstimare debemus, quæ hominem talem efficiat, qualem pro consequitione regni cælorum esse decet. Argumenti forma sic est. Quicumque iustus est, legem Dei custodit: At quicumque iustificatus est, idem iustus est: Ergo quicumque iustificatus est, legem Dei custodit.

II. Respondeo; Seruari legem, vel perfectè, vel imperfectè. Si perfectè intelligas, negatur maior: quia vnus tantum iustus ita seruauit legem, nempe Dominus iustorum Iesus Christus. Itaque, aut neminem præter eum, dicendum esse iustum: aut concedendum, non omnes iustos perfectè seruare legem: quod verius est. Quia Scriptura iustos appellat, etiam eos qui peccauerunt; id est non seruauerunt legem.

III. Est quidem verum, iusti nomen, propria sua significatione, perfectionem designare: sed, quia hic gradus factus est *in d'uab'us* per peccatum ingressum in mundum: *Quia omnes peccauerunt ac deficiuntur gloria Dei,* 3. ad Rom. ideo necesse fuit alterum dari, vt optimus ille sit, qui minimis vrgeatur. Inde ergo factum, vt discedendo ab illo nominis rigore, iustus dicatur, etiam qui imperfectè legem obseruat.

IV. Quod si igitur hanc imperfectam legis obseruationem retinemus in syllogismo; cõceditur vniuersum argumentum. Cur nõ n. cõcedamus qui fidè, per quam iustificamur, scimus non posse ostendi, nisi per opera: id est, legis obseruationem, teste Iacobo? Imo qui à Paulo audiuius, *Gratia seruati estis per fidem: idque non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis gloriatur.* Nam ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu ad opera bona; 2. ad Ephesios? Nempe igitur, non eam rem nunc disputamus; sed longe aliam: quod quidem, tam læpe, tam curiose à nobis distinctum est: vt mirum sit, aduersarios aut non posse, aut certe, quod probabilius, nolle non confundere. Non est verum, inquam, si fideles obseruent legem, ideo iustificari apud Deum ex illa legis obseruantia. Imo contra necessarium: quia legem obseruant imperfectè: ergo non iustificari apud Deum per eam obseruantiam. Psalmo 130. *Si iniquitates obseruaeris Domine: Domine, qui sustinebit? Sed apud te propitius, vt timeare.*

V. Secundum argumentum, Omnis proportio hominis ad summum bonum, est iustitia inherens. At iustificatio est proportio hominis ad summum bonum. Ergo iustificatio est inherens. Ex Cuncero. Christiana, inquit, iustitia ea est, quæ hominem talem efficit, qualem pro consequitione regni cælorum esse decet: corde animoque rectum, & ordinationi Dei, de regno cælorum consequendo, conformem. At Scriptura, eum describit peruenturum ad summum bonum, qui sit operibus iustus, Psalmo 15. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula: & operatur iustitiam.* Et 24. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus: & mundo corde.* Et 1. *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum.* Et 102. *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.* Et 128. *Beati omnes qui riment Dominum, quos ambulanti in viis eius.*

VI. Respondeo, negari maiorem. Et esse proportionem hominis ad summum bonum geminam: alteram, ex præscripto legis: per quam dicitur, *Hoc fac & viues: Si vis ingredi in vitam, serua mandata:* alteram, ex indulto gratiæ. de quo Ephes. 2. *Gratia estis seruati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum est: non ex operibus.* Porro, à priori proportione detrufi homines, quotquot sunt, vel fuerunt, vel erunt, vno dempto: necessario deueniendum fuit ad alteram: quæ iam sola obtinet: vnde vere possumus dicere, nullam esse hominis proportionem ad summum bonum obtinendum ex præscripto legis. Sic enim Scriptura. Psalmo 143. *Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ad Rom. 3. *Ex operibus legis nulla caro iustificabitur in conspectu eius.*

VII. Qui autem citantur loci, dupliciter intelligi possunt. Vel, vt significant, quales esse debeant homines, vt ex operibus seruentur: quasi ius legis significantes: vel ipsos potius indicent, id est, quales sint ii qui seruantur. Si prius, manifesta sophisticæ est, nam hi loci probabunt tantum alteram partem, nimirum iustificationem ex lege: nec concludent inde, esse quenquam proportionatum ad regnum cælorum: quia certum, quod Paulus obseruauit, legem esse in carne infirmatam. Sin posterius: negamus indicari proportionem hominis ad summum bonum: sed tantum effectum eius proportionis. Id est, non causam ostendi per quam, aut proter quam quisquam seruetur: sed tantum, quales oporteat esse qui seruentur: etsi aliunde iis salus sua conficit.

VIII. Tertium argumentum ab Andrædio. Nouum fœdus constat remissione peccatorum, & lege insculpta visceribus, teste Hieremia, cap. 31. Sicille, nimis prophanter. Addo vim argumenti. Atqui iustificatio est fœdus nouum. Ergo hæc constat non tantum remissione peccatorum, sed etiam insculpta cordibus nostris lege; id est, iustitia inherente.

IX. Respondeo. Primum: ergo ex hoc argumento confici, saltem aliquam partem iustificationis esse imputatiuam, siue non inherentem. Nam si nouum fœdus constat, non tantum remissione peccatorum, sed etiam lege insculpta cordibus: ergo aliud est remissio peccatorum, aliud lex insculpta cordibus. Et, si lex insculpta cordibus est iustitia inherens: ergo remissio peccatorum non est inherens. Si ergo iustificatio est nouum fœdus. Ergo iustificatio constat etiam iustitia inherente. Ac proinde recantanda sunt omnia

quæ hætenus enumerata sunt argumenta, quibus contrarium probabatur.

X. Secundo: concedo, Noui fœderis esse partes illas duas. Et sane ad eam mentem nos iam olim distinximus iustificationem & sanctificationem. Sed quid ad rem id fœdus? Non enim de toto disputamus fœdere: sed de altera parte, videlicet Iustificatione. At hæc, etsi coniunctam habeat illam: tamen seorsim definiri debet, vt ei constet sua peculiaris ratio. Sic, etsi lux, & calor non separentur à sole: tamen haud eadem est lucis, quæ caloris ratio. Et in Christiano, etsi nunquam sit fides absque caritate (saltem fides formata, sic tradentibus Papiſtis) tamen longe alia definitio est fidei apud Papiſtas, alia caritatis.

XI. Quartum ex Tappero. Eadem iustitia per gratiam Christi nobis restituitur, quæ ablata est per primum nostrum parentem: quæque erat ei intrinseca, & inherens: sicut eadem vita, idem spiritus. Probatur, quia ad 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificantur.*

XII. Respondeo: dari eandem iustitiam, vel simpliciter affirmatiue, vt etiam exclusiue. Si affirmatiue simpliciter, nulla vis est: quia ex puris particularibus nulla est legitima conclusio. Quomodo si dixerim, datos esse à Creatore homini pedes: Ergo totum corpus esse pedes. Sin autem exclusiue; vt sensus sit, nullam aliam iustitiam dari per Christum: hoc vero vehementer est falsum. Nam, vt ne longe abeamus, datur nobis remissio peccatorum per Christum: & hæc remissio est quædam iustitia: nec tamen illa quam amissimus in Adamo: hic enim nullam habebat remissionem peccatorum, antequam peccaret: imo nec habere quidem poterat.

XIII. Deinde etiam, quomodo restituatur iustitia amissa in Adamo, videndum: non enim non potest dici perperam. Restitui ergo vel in hac vita habendam, vel in futura. Nam restitui habendam in futura, non eamus inficias: quatenus ea constabit in perfecta conformitate voluntatis nostræ cum voluntate Creatoris: nam alioquin haud paulo aliam: quatenus ita confirmatam, vt non tantum possimus non peccare, quod Adamus habuit, ex creatione: sed etiam non possimus peccare; quod ille non habebat. Sed habendam in hac vita eam iustitiam, quam amissimus in Adamo, constanter negamus. Et res per se est perspicua. Nam Adami iustitia erat sine peccato: non tantum, quia non peccauerat, sed etiam quia non peccabat. At nos in hac vita neutrum habemus: quia & peccauimus omnes, tum in Adamo, tum in nobis: & adhuc peccamus, peccaturi que sumus. Sed hoc fortasse paulo alienius à nostra quæstione: nisi quatenus inde constat, necessariam esse iustitiam imputatam, id est, aliam ab ea, quam amissimus in Adamo.

XIV. De loco ad Romanos, iam dictum: non esse hanc Apostoli mentem, vt æquet vitam restitutam, vitæ amissæ: sed, vt comparet Christum Adamo, in eo, quod ab utroque in alios & quidem multos redundauerit aliquid: nempe, ab isto peccatum & mors: ab illo autem iustitia & vita. Quid autem ineptius, quam sic nos viuere per Christum, quomodo sumus mortui per Adamum? Sed verissimum, æque, imo multo magis, nobis Christum esse autorem vitæ, quam Adamum mortis. Alioquin, quomodo per generationem corporalem transfudit in nos mortem Adamus, ita oporteret per generationem corporalem in nos Christum vitam transmittere. Quod est alienum à vero.

XV. Quintum à Sanderò. Christus instar medici se habet, Matth. 19. *Qui valent non egent medico, sed male affecti.* Vnde in signum spiritualis medicinæ, tum corpora multa sanauit, tum Samaritani parabolam proposuit, Lucæ 10. *Quemadmodum igitur non est sanatus quisquam corporaliter à Christo, sola imputatione: sed tum primum, quum effectus aliquis, vel verbi, vel tactus diuini ad carnem eius adspirauit: sic neque spiritualis sanatio, id est, iustificatio fit per solam imputationem: sed per applicationem virtutis Dei ad animam peccatoris, ita vt corpus mutetur ac innouetur.*

XVI. Respondeo. Primo, huius comparationis vim non esse à Scriptura; sed ab ingenio Sanderi. Solere autem humanum ingenium in hoc campo equi in frænis in morem libere ludere: & res quasque sursum prorsum versare: ac prope modum ex quolibet quidlibet efficere. Quare, nihilo plus momenti inesse, quam coniecturis. Nihil omnino per se probare: nisi quomodo de Allegoriis (nam & allegoriæ similitudines sunt) dixit olim Augustinus, habeant diserta Scripturæ loca, quibus confirmantur: id est, vnde non tantum desumpti sint termini; sed ipsa etiam, & pouillimum comparandi ratio. Quare, vt solide disputaret Sanderus, debuit non tantum ostendere Medico Christum in Euangelis comparari: sed etiam hac ratione comparari, quam ille vult, quod nos negamus.

XVII. Nos dicimus, comparati quoad effecta: non quoad rationem efficiendi. Imo ne illud quidem, eo saltem loco: sed hoc tantum: quemadmodum necesse est medicos ægrotis esse familiares: sic & Christum peccatoribus. Verum est tamen; & producatu comparatio longius: quandoquidem eum aliunde constat venisse, vt sanaret à peccatis, morbis animi atrocissimis. Effectum ergo Christi, restitutio est damnati in amissam salutem: Medici autem, ægri in amissam sanitatem. Iam nihil obstat, quominus sicut diuersa sunt effecta; diuersa etiam ratio sit efficiendi: atque adeo aliter restituat Christus salutem, medicus sanitatem: etsi restituat uterque. Concedamus ergo sane restitutionem non esse imputatiuam: esse potius inherentem: nam certe ita est, vtuntur, fruuntur, præsentem, inherenteque beatitate, quoscunque Christus restituit in integrum: At non sequitur propterea, æqualiter inherere media restituendi.

XVIII. Nam & in hoc comparatio peccat; quod, cum salutem debeat opponere sanitati: tamen pro salute iustificationem substituit: quæ non salus est ipsa, hoc est postremum effectum Mediatoris; sicut sanitas Medici: sed est medium ad salutem: siue causa salutis: sic diserte Scriptura ipsa distinguente: Ad Rom. 5. *Iustificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Iustificati eius sanguine seruabimur multo magis per eum ab ira.*

XIX. Denique, vt magis pateſcat infirmitas argumenti: dico Christum ita esse medicum, vt sit etiam mediator, sponsor, vas. At nullum medicum, esse mediatorem, sponforem, vadem. Itaque necesse est rationem saluandi, esse partim similem, partim dissimilem rationi sanandi: nam, si nullo modo dissimilem: ergo necesse esse vel Christum non esse mediatorem; vel medicum esse mediatorem. Quæ cum sint absurda: ergo salutem inherenter sane restitutio Christus, vt sit Medicus: sed ne per imputationem sanato medicus;

medicus, ut ne sit mediator, sponsor, vas. Et ineptum sit Sanderi ab ea comparatione argumentum. Sextum ab Andradio est. Omnis caritas est iustitia inherens: At iustificatio fit per caritatem: Ergo iustificatio fit per iustitiam inherentem. Probatur assumptum: quia per caritatem fit remissio peccatorum. Hoc probatur. Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operis caritas.* Prioris Petri 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Paulus 3. ad Coloss. eam appellat vinculum perfectissimum, eo quod, sceleribus omnibus extinctis, nos cum Deo arctissime connectat, & copulet. Lucæ 7. Mulier peccatrix ideo veniam tam facile est consequuta, quia multum diligebat.

XX. Respondeo: Caritatem aliam esse Dei, qua nos Deus amat: aliam nostram, qua nos Deum. In argumento igitur, de caritate illa Dei, concedi minorem: nempe effici iustificationem per eam, sed tanquam efficientem causam. Ad Titum 3. *Postquam bonitas, & erga homines amor apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustis, que fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos.* Ad Rom. 5. *Commendat suam caritatem erga nos Deus: quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit: iustificati igitur eius sanguine: seruabimur nunc multo magis.* Absurdissimam vero esse maiorem: nam quis cogitare possit, quomodo caritas, qua nos Deus amat, sit nostra, nobisque inherens iustitia?

XXI. At de caritate nostra, concedo maiorem. Sed minorem nequaquam. Falsum enim, iustificationem hanc, de qua pridem disputamus, fieri per caritatem; siue tanquam efficientem; siue tanquam materiam; siue tanquam formam: siue tanquam instrumentum, sine vlla causæ notionem. Contra enim potius verum, hanc caritatem produci per iustificationem.

XXII. Neque illud vlli probant loci recitati, *Caritas operit delicta.* Recte: quis enim contradicat? Sed caritas nostra intelligitur, qua alii aliis iniucem peccata condonamus. Vidit Iansenius, *Caritas & dilectio, non parua tantum, sed vniuersa delicta operit: quia efficit, ut quis delicta alterius etiam magna, non multum attendat, ad exaggerandum ea, aut vindicandum: sed ut potius ea extenuet, obliuiscatur, & memoria deleat, ac condonet.* Est ergo operire delicta, condonare. Et vero ita prorsus postulat comparatio caritatis & odii. Sic enim habet locus. *Odiu suscitatur rixas, & vniuersa delicta operit caritas.* Lyranus, *Quia sicut odium per rixam manifestat defectus aliorum: sic caritas celat: nisi quantum correctio fraterna requirit.* At condonare aliis peccata, longe aliud est, quam iustificari apud Deum. Neque Petro alia mens. Itaque Iansenius, *Diuus Petrus ex hoc loco caritatis desumpsit commendationem: sic scribens: Ante omnia mutua in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.*

XXIII. Nam, quod Lorinus in Petri verba scribens, vtrunque sensum coniunxit, *ut & mutuas remittamus, ac perpetua obligatione tegamus, sepeliamusque iniurias: & Deus ipse nobis dimittat debita nostra:* sapit nimium papistice. Nam remitti peccata à Deo per caritatem nostram, non video qui possit intelligi. Scio dictum, *Dimittite nobis peccata, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* sed hoc longe est aliud: nec causam significat: sed exemplum. Alioquin prius nos oporteret dimittere: & posterius nobis dimitti. Quod tamen contra fit: præuenit enim nos Deus semper, & Spiritu suo efficit in nobis caritatem, quæ proximis condonat: nec dat tamen Spiritum suum, nisi remissis peccatis: non enim amat aliter: ac proinde neque Spiritum suum largitur, qui Spiritus est adoptionis.

XXIV. Caritatem appellari vinculum perfectionis, quia sceleribus omnibus extinctis, nos cum Deo arctissime connectat: primo, nihil notet nunc: nam nec eo significatur ipsam dimittere peccata: sed cum dimissa sint, nimirum per gratiam Dei; tum vnire nos Deo, scilicet quatenus non potest vnitus Deo, non amare Deum: nec, si sic vniat nos Deo, propterea efficit iustificationem nostri.

XXV. Secundo, qui commentati sunt in ea verba, haud paulo aliter intellexerunt vinculum caritatis: nempe id quo deuincuntur, vel omnes virtutes in vna anima: vel omnia Christi membra inter se. Iustinianus in paraphrasi, *Est enim illa, ut ita dixerim quoddam vinculum, quod cetera omnia animi bona adstringuntur.* Et in Annotationibus. *Hoc, inquit Chrysolomus, est quod vult dicere: illa (nimirum quæ ante à Paulo nominata, misericordia, benignitas, humilitas, modestia, patientia) nihil profunt: dissoluantur enim illa omnia, nisi fiant cum caritate: ipsa omnia illa constringit: quodcumque bonum dixerit, si ea absit, nihil est, sed dissoluit: & quomodo in nauis, etiam si magna sint instrumenta, & non sint quis eam succingant tabulata, nihil prodest: & in domo, si non sint conignationes: & in corpore, etiam si sint magna ossa, non sint autem ligamenta, nihil iuuat.* Salmero, *Dicitur vinculum perfectionis, id est, integritatis, & omnium virtutum, de quibus supra dixit: viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, qua omnes breui dissoluantur, nisi adsit caritas, qua illas colligat.* Ita enim interpretatur Chrysolomus. *Alii vero dicunt vocari vinculum perfectionis tropo Hebræo, id est, vinculum perfectum, & indissolubile. Probabilius tamen videtur, quod ut in corpore connectit omnia membra circuitus, alioqui dilapsura: ita caritas colligit omne virtutum. Vel connectit omne corpus mysticum sub vno primario Christo, & omnia membra viuificat, & omnia opera perficit.*

XXVI. Mulieri multa fuisse condonata peccata, quia multum dilexerit, totidem verbis lego apud Lucam, Sed primo, quid hoc ad argumentum propositum? Nam debuit probari, iustificationem fieri per caritatem; & quidem formaliter: nam ea controuersia est: Concedo remissionem peccatorum esse iustificationem: sed causam formalem designari per, *quia dilexit multum,* oportuit non supponi, sed probari: constat enim non semper ita vsurpari parti cula *en*, Matthæi 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Causa hæc quidem est gaudii, sed formalis-ne? Imo merces in caelis, id est, futura describitur: at gaudium præsens. Et II. *Quod absconderis hæc à sapientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.* Etiam Pater: *en*, quoniam sic fuit placitum ante te. Causa est efficiens. Mille sunt huiusmodi. Non raro causam significat propter quam quid fit, aut dicitur. Marci 8. *Abscede à me Satana: quoniam non sapis quæ Dei sunt.* II. *Timebant eum; & tri, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrinam eius.* Et sic hoc loco sensus reddi posset: propterea quod dilexit multum. Is vero fortasse vsui sit probando merito saltem de congruo. Sed ineptus demonstrandæ siue formæ, siue materię remissionis peccatorum. Itaque Stapletonus in Antidotis, considerat tan-

tum vtracumque præcedentem, qui vel necessario, vel ordinario disponat ad remissionem peccatorum, cum tamen neque materia, neque forma disponat, sed constituat.

XXVII. Secundo: hego dictum à Christo, propterea quod dilexerit multum dimissa fuisse ei mulieri peccata: sed propterea dicere remissa fuisse, quia multum diligeret. Quæ longe alia ratio est. Nam, causam eam quid fiat, necessario oportet præcedere effectum. At causam, cur dicatur factum non est necesse: nam solet ex effectu causa conici. Ut sensus sit, & ex eo quod videamus illam multum amare, nos oportet concludere, ei multum remissum fuisse. Quasi diceret quis: In hoc agro amplam messem esse oportet: quoniam plurimum meliores laborant. Sic Genesios octauo: Noe cognouit cessasse aquas, quia columba attulit ramum oliuæ: quantumuis ramus oliuæ in rostro columbæ, nulla esset causa definentis diluuii: sed duntaxat signum.

XXVIII. Esse autem hanc Christi mentem apparet ex parabola, quam ei pronuntiato præmisit Christus, qua docuit remissionem esse amoris causam, *Duo debitores erant cuidam creditori: vnus debebat denarios quingentos, alter vero quinquaginta, Quum autem illi non essent soluendo, gratificatus est vtrique. Horum igitur, dic vter eum plus diligeret? Respondit Simon, & dixit: existimo eum cui plus gratificatus est. At ille dixit ei, Recte iudicasti.* Manifesta verba sunt: nec egent interprete.

XXIX. Vidit Stella: *Interrogat Christus Simonem i quis istorum duorum debitorum plus diligit, ille cui dimisit quingentos: aut ille cui dimisit quinquaginta. Respondit Simon dixit, Aestimo quia is cui plus donauit. Nam iuxta naturalem legem, ille qui plus accepit, plus debet diligere. Magis enim teneor illum obseruare & colere à quo pluribus sum affectus beneficiis, quam illum à quo pauciora in me constant munera: & per consequens, illum pluris facere, multoque magis amare debeo.* Vidit Carthusianus, *Quis ergo eum plus diligit? id est, quis duorum debitorum, feneratorum, imo condonatorum illum plus diligere obligatur? Post ad responsum Pharisæi, Ille quippe ceteris paribus plus amare tenetur, quia plus datum est ei. Quanto enim quis ab aliquo maiora consequutus est bona, veniamue maiorem, tanto plus habet illum diligere. Et istud præcipue verum est, & contingit in rebus humanis, vbi amor frequenter causatur ex præcedentibus donis: ideo amor maior ex donis procedit maioribus. Quid pluribus opus est? Vidit Gotranus, vidit Toletus: vidit Salmero: vidit Barradas.*

XXX. Sed non vidit Maldonatus: imo oppugnauit animose. Et vt magnum zelum agnoscat: *Vtinam, inquit, nemo Catholicorum secutus esset.* Sed zelum condonemus: argumenta videamus. Primum: quia post mulierem audit, *Remittuntur tibi peccata tua.* Non igitur, inquit, ante remissa fuerant: quare dilexit ante quam remitterentur. Secundum. *Quia alioquin oportet ea peccata fuisse remissa antequam ad Christum veniret.* At quis dubitat, illam venisse, non vt gratias ageret ob remissa; sed vt remissionem obtineret?

XXXI. Verum respondeo, in illo sumi falso, non prius remissa illi fuisse peccata: & Christum dicere: *remittuntur tibi.* Peccatum id fuit Interpretis. Nam Græce est, *ἀφίενται σου αἱ ἀμαρτίαι:* *Remissa sunt peccata tua:* tempore præterito. Nam quod præteritum Maldonatus vult esse pro præsentis, id quidem regnare est, non disputare. Quis autem Iesuus id regni concessit? At nos certe ab ea tyrannide liberos esse Deus voluit. Quid? si dicamus in Interprete potius esse præsens pro præterito? Sed quicquid ille contra nagebit, nos vrgemus præteritum tempus: & addimus circumstantiam. *Quia, antequam huic mulieri Christus hoc diceret, alloquens Simonem: Cuius res gratia, inquit, dico tibi ἀφίενται αἱ ἀμαρτίαι σου, remissa sunt: peccauit rursus Latinus Interpres, qui remittuntur dixit, Remissa sunt peccata eius multa.* Cum oportuerit dicere ἀφίενται, remittenda sunt: nisi Maldonatus nesciat.

XXXII. In secundo, cum negat fuisse remissa antequam mulier veniret, & tamen amasse iam mulierem, primo à nobis est. Nam si id verum, ergo infamant qui hoc exemplo sperant se probatos caritatem esse formam iustificationem. Si enim id verum: Ergo cum primum caritatem illa mulier habuit, tum etiam iustificationem fuisse oportuit: quia formam habuerit iustificationis: & per formam res est, id quod est. Atqui id falsum, nisi mentitus sit Maldonatus, prius amasse, deinde obtinuisse remissionem.

XXXIII. Sed nos negamus ante venisse ad Christum, quæ ei fuerint peccata remissa. Nam, antequam veniret, auauit: Christus testis: *quia dilexit multum.* Atqui non potuit amare, nisi ex gratia: nulla autem gratia sine remissione peccatorum. Quia gratia nulla, nisi supposita reconciliatione: hæc autem nulla quamdiu imputantur peccata.

XXXIV. Verum, inquit ille, non venit mulier vt ageret gratias, sed vt impetraret. Verum, inquam, non queritur quodnam fuerit mulieris consilium: sed quæ fuerit Dei in eam gratia. At hæc non solet expectare momenta cogitationum humanarum. Tum vero vnde habet sophista, venisse mulierem vt impetraret remissionem? Nam neque ipsa profiteretur: neque Christus dixit: nec annotauit quidem Euangelista. Cui non ergo potius, vt ageret gratias? Tertio, fideles postulant remissionem peccatorum, etiam iam remissionem. Sic Dauid postquam audisset à Nathane, *Dominus transtulit peccatum tuum,* 2. Samuel. 12. tamen Psalmo 51. vehementer precatus est id ipsum sibi dimitti: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

XXXV. Sic sunt refutati faciles rationes Maldonati. Sed quomodo satisfaciat argumento à parabola statim initio proposita, operæpretium fuerit considerare. Illa enim vrget fortius, quam vt facile amoueretur: teste Toletus, qui ne Augustini quidem autoritate potuit moueri, *Augustinus, inquit, priori adhæret sensui, quasi qui plus debebat, magis diligeret eum, à quo sperabat maioris debiti donationem: quam interpretationem clarioribus verbis amplexus est Euthymius. At huiusmodi interpretatio difficile accommodari potest. Et affert causas: primam, à parabola, cuius debitores non sperabant sibi condonanda debita, ob dilectionem erga feneratorum: secundam, ex iudicio Pharisæi laudati à Christo: qui non potuerit ex dimissione maioris debiti inferre maiorem dilectionem antecedentem: cum id fieri potuerit, non quia plus diligeret, sed quia plus deberet: tertiam, à verbo præsentis indicante consequentem dilectionem.*

XXXVI. Veruntamen Lyranus, Lyranumque secuti nonnulli existimantur; & remitti peccata propter dilectionem: & dilectionem nasci ex remissione: h. e. vtrumque verum: & dilexisset mulierem, quia remissa essent peccata, & remissa esse peccata, quia dilexisset. Sed hanc subtilitatem Maldonatus reicit, dicitur humano ingenio, nunquam magis erranti, quam cum sibi indulget: obseruans etiam non bene quadrare cum parabola. Ego addo, ne cogitari quidem posse, quomodo causa sit sui effectus effectum: non enim pati oppositorum naturam. Potest pharmacum esse causa sanitatis restituta: sed sanitas restituta non potest esse causa pharmaci: Et lux potest esse causa visus: at non contra, visus lucis. Non distitemur equidem, ex nuce arborem, ex arbore nucem oriri: ex gallina ouum, ex ouo gallinam: sed tum necesse est, alterutrum terminum intelligi vnum specie, non numero: neque enim eadem arbor ab eadem nuce est, quæ fuit ab ipsa. Sed vel ab arbore nux alia, vel à nuce arbor alia. Ast in hac peccatrice non consideratur identitas speciei, sed numeri.

XXXVII. Caietanus subtilitatem affectans: *Dilectio, inquit, est causa remissionis, velut perficiens: remissio autem est causa dilectionis, velut disponens. Disponitur enim ad amandum benefactorem ex accepta remissione debiti: sed non perficitur in nobis peccatorum remissio, nisi caritate diuina infusa.* Quod est aduersum non sit nobis: quia si ita est, ergo neque materia, neque forma, neque adeo aut instrumentum, aut mericum est iustificationis caritas: tamen absurde dicitur. Quis enim credat opus diuinum non esse perfectum, donec à nobis perficiatur? Tum autem, si similis sit remissio peccatorum, condonationi debiti: tum profecto necesse est, nos ad eam habere nos mere palliue: quomodo igitur eam perficiamus?

XXXVIII. Sed enim Maldonato non placuit id commentum. Quid ergo habet noui? Primo, titillauit eum inuersio parabola, quasi argumentum esset à contrario. Ille debitor dilexit multum, quia multum ei remissum est: at huic mulieri, multum dimissum, quia dilexit multum. Audi *καταλογίζαι*. In iis verbis, *Quis ergo plus eum diligit?* ex vsu loquendi significationem esse præteriti: ac si dicas, Hic pro Christo vitam, ille bona sua dedit, vter erit sanctior? id est, vtrum tu sanctiorem fuisse iudicabis? Sic Amos *5. Ideo prudens in tempore illo tacebit.* id est, tacebat, aut tacere debuit.

XXXIX. Sed qui in alienis sententiis humani subtilitatem ingenii sollicitauit: cur nunc suæ tantæ securitati confidit? An quia facilius aliorum peccata carpimus, quam emendamus nostra? An quia præ Iesuiticis ingenii humana nihil vident ingenia? Sed enim inuersio parabola, primo coacta est, vt omnes vident facile: imo aduersatur instituto Christi. Toletus, *Mirabilis hæc Christi in reprehendendo prudentia, suauitati coniuncta, facit vt Pharisæus sese suo iudicio condemneret: & vt dicit Gregorius homilia trigesima tertia in Euangelia: dum sua sententia Pharisæus conuincitur, quasi phreneticus funem portat, quo ligetur: ideo ergo consensum illius ad dicendum Christum requirit. Iansenius, Paradigma proponit, sub quo, re qua gerebatur expressa, ipsemet Pharisæus sententiam pronuncians, & seipsum condemneret, & Iesum ac mulierem absolueret. Gorranus, Et respondens Simon, dixit. Cuius responsio expectabatur, vt ex dictis fortius, & apertius conuinceretur. Et, ne omnes colligam, instar omnium ipse esto Maldonatus; isdem profus verbis vtens cum Toletis. Atqui, si inuersam dicas parabola, quomodo suo iudicio Pharisæus dicitur conuincitur? Non enim pronunciauit ipse, ei qui plus amauerit, plus esse condonatum. Imo, Sophistam Christus egerit, qui positi oppositum concluderet. Quod absit. Non fuit enim ille Iesuitarum discipulus.*

XL. Deinde, quomodo congrueret id quod statim subiicitur, *ois ἐκ τῆς ἀγάπης: Cui autem paulum dimittitur, paulum diligit*, seruat eodem ordine, qui fuit in parabola? Aut cur in priori inuersionem omnias, vt sit remissa esse peccata multa, quia multum dilexit: in secunda, quæ tamen ei respondere debuit, contra sit, parum diligere, quia parum fuit remissum? Ne Choræbus quidem ita loqueretur. Omnino necesse est Christum dixisse: *¶. 1.* remissa sunt peccata, multa, quia multum dilexit, & remissa sunt peccata pauca, quia parum dilexit. Vel, quia remissa sunt peccata multa, multum dilexit: quia remissa pauca sunt, paulum dilexit. Sed hoc verius: tum quia manifeste scriptum, *cui paulum dimittitur, paulum diligit*: tum quia parabola præmissa id omnino postulat.

XLI. Et sane, quid sit hoc loco, parum cuiquam dimitti, quia parum dilexerit, ego quidem non assequor. Cur enim parum dimitti? An quia Deus sic amanti non omnia peccata remittat, sed partem duntaxat? An potius, quia remittat quidem omnia Deus, sed pauca tamen inueniat remittenda? Atqui hoc posterius manifeste absurdum: quia, quanto minor dilectio est, tanto plura, atque etiam maiora peccata esse oportet: quod ne Papistæ quidem negauerint. Prius autem illi demum sibi persuadeant, qui indulgentias diuiserunt ad libram, in partes, & particulas, in dies & annos. Sane inauditum hæc tenus, Deum esse *μικρολόγος*.

XLII. Ast in altero sensu, facilis est & expedita ratio. Quia enim apud homines, cum crescunt dona, crescunt rationes donorum, prompta ratiocinatio est; quando quidem huic multa sunt dimissa peccata: ergo hunc debere multum diligere: quia quanto plura peccata sunt, tanto maius sit beneficium. Similiter, quanto pauciora illa fuerint, tanto minorem diligendi causam.

XLIII. Iam temporis enallage iam abest à verisimili; vt neque ante hunc cuiquam venerit in mentem: neque inuenta cuiquam placuerit. Et vero refutatur eodem argumento, ab iis verbis, *Cui autem paulum dimittitur, paulum diligit*: quod effectum, quo prætextu, quæso, mutes in *dilexisse iudicatur*? Hoc autem si non potest, quæ audacia est, illa verba sic torquere? At si tam audaces Iesuitæ, vt fingant: non tam proiecta pietas, vt credat.

XLIV. Deinde, facilius fuit Maldonato exemplum fingere, quam proferte. Est enim frequentissimum sit Hæbræis futurum pro præterito, tamen id huc pertinere negabunt, quicumque eas literas vel à limine salutarunt. Atque inde nullum potuit Maldonatus excerpere.

XLV. Nam quod ex Amos placuit, longe est dissimile. Pendet enim non ab eo more, qui futurum dicit pro præterito: sed qui pro præterito, cum significatur continuatio actionis, atque adeo consuetudo & habitus sibi constans, à præterito in futurum. Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis stratum meum rigabo*: pro lauo, rigo: id est, id mihi perpe-

tuum siue continuum est exercitium: siue, iamdiu est cum lauo & rigo. Psalm. 8. *Cui videbo oculos tuos*: id est, *video*. Infinita sunt huiusmodi: neque enim recondita alicuius elegantia phrasia est: sed promiscui vsus: neque aliter possunt Hebræi, apud quos verba nullam habent temporis præsentis flexionem. Solet autem Latinus Interpres, interdum minus attentus, futurum retinere, vt in exemplis citatis: interdum præsens vsurpare. Psalm. 7. *Dominus iudicat populos.* 9. *Dominus in æternum permanet.* Et 10. *Destitit in oportunitatibus, in tribulatione. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis.* Nam in his quæcumque verba sunt, Hebraice futuri flexionem habent. Et hæc ratio in Amos: etsi scio non eodem modo ab omnibus exponi. Potro, non dubito in hoc nostro loco, ea analogia vsu Lucam: & recte pro futuro *ἀγαπῶσα*, Latinum Interpretem dixisse, *diligit*: id est, diligere solet: ad nostram, non Maldonati mentem.

XLVI. Nihil ergo aduersarii proferunt, quo probent ei mulieri condonata fuisse peccata, propterea quod amatit multum. Nec vero virget illud remissa esse peccata eius multa: quoniam dilexit multum. Nam facilis expositio est, vt ab eius multa charitate sumatur argumentum, non quare ei fuerint peccata multa remissa: sed vnde constet fuisse remissa: nimirum quomodo solent etiam demonstrationes fieri à posteriori. Quia enim positum erat ex confessione Simonis, eum plus amare, cui plus fuit remissum: inde, quod illa plus amaret, tanquam ab iudicio, concludendum, ei plus fuisse remissum. Sic enim non raro ex consequente solemus antecedens *ἐκ τῆς ἀγάπης*.

CAP. VII.

De Patribus.

I. AD Patres nuncitur. Sed hi non detinebunt diu. Sibi illos Bellarminus vindicat, primum ex Caluini, Chemnitiique confessione: deinde recitatis locis.

II. Aduersarii concedunt, inquit, sanctos Patres iustificationis gratiam ad internam renouationem & sanctificationem, non ad solam peccatorum remissionem retulisse. Caluinus, qui solum Augustinum excipere solet, eum sanctos Patres reicit, lib. 3. Institut. cap. 11. §. 15. etiam Augustinum in hac quaestione repudiat: *Ac ne Augustini quidem inquit, sententia recipienda est, quæ gratiam ad sanctificationem refert, quæ in vita nouitatem per Spiritum regeneramus.* Chemnitius admittit: Patres ita loqui de iustificatione, vt nos loquimur: *Non mouemus, inquit, litem, quomodo iustificationem accipiant Patres: Et infra, Non ignoro aliter loqui Patres: sed de proprietate linguarum quaestio est.* Scilicet Patres omnes imperiti ac rudes proprietatis linguarum erant.

III. Sed tum Caluini, tum Chemnitii locos Sophista corrumpit, vt sibi seruiat. Caluinus, *Ne Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio, per omnia recipienda est: tamen si enim egregie hominem omni iustitia laude spoliari, ac totam Dei gratia transcribit, gratiam tamen ad sanctificationem refert.* Chemnitius, *Et Patres quidem, verbum iustificare in hac significatione sæpe vsurpare non ignorat: sed de proprietate linguarum quaestio est.* Et post, *Sed non querimus nunc principaliter, quomodo Patres vsurpent verbum iustificandi: sed nostra quaestio est, in qua significatione Spiritus Sanctus utatur verbo iustificandi.*

IV. Hæc illi: Ex quibus constat, non sententiam Patrum in hoc argumento repudiari, quod vult videri Bellarminus: sed tantum loquendi rationem improbatam. Sensus est, iustificationis vocabulum ipsum æstimatum ex analogia grammatica, quam paulo ante urgebant Papistæ. Itaque nominatam à Patribus eodem sensu, quo nos libentius sanctificationem vsurpamus, autore Paulo. Sed nihilominus, cum agitur de vera causa nostræ salutis, tum vero aperte Patres profiteri eandem nobiscum sententiam: vnde etiam plurimos locos excerpunt, quibus id ipsum conficitur, quod nos docemus. Itaque Caluinus dixit, ab Augustino hominem omni laude spoliari iustitiæ: & totam Dei gratia adscribere Chemnitius, *Patres quidem, licet plerumque sequantur analogiam Latina compositionis in verbo iustificare, sæpe tamen euidentia Paulina dissertationis coguntur agnoscere propriam & genuinam hanc significationem, quam monstrauimus.*

V. Papistæ ergo ex Caluino & Chemnitio nihil obtinent, nisi suæ Sophistæ laudem, quæ nomina perinde habet, *νεβη* an *ὁμωρημα*, certa an dubia, distincta an confusa, vt ea possit occasione Patres suos clamare, Patres ingeminare. Id est, contrario vexari morbo, quam ille olim *καυρόδωρος*: & duplices (vt ita dicam) Thebas non videre. Fruantur illi sane sua pertinacia. At nos non tam sumus à bona mente alieni, vt non videamus quantum mons distet à quadrupede, etiam si vterque Taurus appelletur.

VI. Sed quid ergo Patres? Quæ ab iis Bellarminus excerpit, ea distribuam in duos ordines. Sunt enim quæ iustitiam nominant: sunt quæ iustificationem: Sed vtrisque idem scopus. Iustitiam enim illam intelligunt, non quæ causa est reconciliationis nostræ apud Deum: sed quæ potius effectum est: & consistit in reali illa inhaerenteque qualitate, quæ in nobis fit per Spiritum Sanctum agentem in cordibus nostris.

VII. Hac mente Augustinus, Epist. 85. *Quid est aliud iustitia, cum in nobis est, vel qualibet virtus, quæ recte sapienterque viuatur, quam interioris hominis pulchritudo?* & de Ciuitate Dei lib. 9. cap. 27. *Hic, in vnoquoque iustitia est, vt obediens Deus homini, animus corpori, ratio autem virtutibus, etiam repugnantibus, imperet, vel subigendo, vel resistendo: atque vt ab ipso Deo petatur & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de a. iis bonis gratiarum actio persoluitur.* Concion. 26. in Psalm. 118. *Iustitia virtus est animi magna, præcipueque laudabilis.* Tractatu vigesimo sexto in Ioannem, *Quid est iustitia Dei & iustitia hominis? Iustitia Dei dicitur, non quæ Deus iustus est: sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum.*

De verbis Apostoli Ierem. 15. Qui crediderit in eum non habebit suam iustitiam, que ex lege est: quamvis sit bona lex, sed implebit ipsam legem, non sua iustitia, sed data à Deo. Charitas enim plenitudo est legis. Et unde ista charitas diffusa est in cordibus nostris? non utique à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Capite ult. de natura & gratia, quod omisit Bellarminus, Tapperus descripsit, Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas perfecta: perfecta iustitia est. Cynillus 6. de Trinitate, calor Spiritus est, qui simul ut charitatem in nobis diffuderit, & eius igne mentes nostras inflammaverit, iam sumus iustitiam consequuti.

VIII. Mille possunt eiusmodi colligi, tum ab iisdem, tum ab aliis auctoribus. Quis enim ignorat, aut iustitiam prima propriaque notione, habitum esse animi, ideoque & qualitatem inhaerentem, à qua variae prominent actiones secundum virtutem? Aut fidelibus hunc habitum inesse debere? Quid etiam opus erat, tot cortogatis testimoniis, cum praesto sint litera sacra. Nisi forte nemo legit, Matth. 5. Nisi abundaverit vestra iustitia plusquam Scribarum & Pharisaorum. Lucæ. 1. Ut sine metu, à manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi cum sanctitate & iustitia in ipsis conspectu cunctos dies vitæ nostræ. Act. 10. In quavis gente acceptum ei esse quemuis qui eum timeat, & operetur iustitiam. Ad Ephes. 5. Fructus Spiritus est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Primæ ad Timoth. 6. Sectare iustitiam. Quid necesse est plura? Semel dicimus: fidelium vitæ innovata per Spiritum, est iustitia: est etiam iustitia Dei, quia infusa à Deo.

IX. Verum, neque hæc, neque infinita talium exemplorum plaustra efficiunt, aut nullo alio sensu iustitiam dici: aut eam, quæ dicitur iustitia nostra apud Deum, esse etiam habitum, aut nobis inhaerere. Cum contra sit discretissima Scriptura: nec non Patrum auctoritates, ut postea videbimus.

X. Neque movet nos illud Bellarmino annotatum ad Augustinum, In hac definitione iustitiæ nullum locum habet iustitia Christi imputata: sed sola iustitia nobis inhaerens. Nam quid mirum, si diversæ iustitiæ notiones, diversis definitionibus separantur? Nos enim similiter possumus annotare in definitione iustitiæ separantur nos apud Deum, nullum locum habere iustitiam nobis inhaerentem, sed Christi iustitiam imputatam. An propterea conclusum imus, nullam aliam esse iustitiam. Minime vero. Discant ex eo Sophistæ sapere.

XI. Par ratio alterius ordinis locorum, in quibus iustificatio nominatur. Augustinus 15. de Trinitate cap. 8. Quæ natura cum à suo conditore iustificatur, à se formam formosam transferitur in formam. Libri 1. ad Simplicianum q. 2. Quia manet propositum Dei, ut iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cælorum. Et. Nisi vocando precedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem bene operandi. Primi de peccatorum meritis & remissione cap. 10. Legimus iustificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis.

XII. Hæc, & quæcunque similia sunt, ponderis nihil habent, nisi apud eos, qui homonymiam distinguere non norunt. Constat iustificandi vocabulum alias vsurpatum ad etymologiam grammaticam; alias, ad vsum forensium. Augustinus, sed & Veteres reliqui, aut sæpe, aut etiam sæpius hæserunt grammatica: eoque sensu vsi sunt vocabulo. Sed non sequitur, non separasse iustificationem nostri apud Deum, id est, causam reconciliationis nostræ cum Deo, ab ista iustificationis notione. Hanc causam, siue iustificationem, illi appellarint, siue minus, nostra non interest, qui seimus pietatem in rebus esse, non in vocibus. Nos malumus etiam nominibus distinguere; & cum Apostolo loqui.

C A P. VIII.

De iustitia Dei, & nostra.

I. NOSTRUM nunc est probare, iustitiam inhaerentem, non esse eam, qua iusti simus apud Deum: etsi sit aliqua: imo etsi necesse sit esse aliquam: neque enim hoc impugnamus: imo non credimus, esse fidelem, in quo nulla sit: quod sæpius dictum, sæpius repetendum, propter immanem calumniandi pruriginem. Breuiter. Omnes fideles, sunt inhaerenter iusti, plus minus: sed nulli fideles propter inhaerentem iustitiam, apud tribunal Dei iusti censentur.

II. Argumentum primum. Omnis iustitia inhaerens est nostra iustitia: At iusti apud Deum non sumus nostra iustitia: Ergo neque iustitia inhaerentem. Assumptum probatur post. ad Cor. 5. Fecit eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esse, ut nos efficeremur iustitia Dei in eo. Ad Philipp. 3. Duco omnia damnatum esse, propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omnibus istis me ipsum multavi: et eaque duco pro stercoreibus, ut Christum lucrificarem, & comperiar in eo, non habens meam iustitiam, quæ est ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, id est, iustitiam quæ est ex Deo per fidem. Nota, fieri iustitiam, fieri in Christo: fieri iustitiam Dei. Cynillus Glaphyron 5. cap. post. τὸ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ καλεῖται αὐτὸν Κύριον. Ius est: καὶ τὸ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Hoc est nomen eius, quod vocabit eum Dominus, Iosede, in prophetis. Regnavit enim super nos iustus rex Christus, iustitiam fecit & iudicium, liberans à peccatis eos, qui decepti erant, & condemnans hostem Satana tyrannidem in nos excentis. Nomen vero ipsi Iosede, hoc est, iustitia Dei. Iustificati enim sumus in ipso, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum magnam ipsius misericordiam: Iccirco etiam dicit Deus & Pater, appropinquat celeriter iustitia mea & misericordia mea revelabitur. Misericordia enim & iustitia nobis factus est Christus à Deo ac Patre.

III. Respondent, iustitiam nostram, vel eam quæ à nobis fit, ex viribus naturæ lege monstrante & cogente: vel ex fide Christi, & gratia. Illa neminem

iustificari, ac ne posse quidem. Itaque hoc sensu argumentum concedi tantquam extra thesin. Ast altero, negant innoctem: Iustinianus Certe, inquit, Chrysostronus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & Augustinus, iustitiam Dei illam interpretantur, non quia Deus iustus est, sed quam iustus largitur. Bellarminus de iustificatione lib. 1. cap. 19. Opponit Paulus iustitiam suam, id est, opera sua iusta, facta ex fide; quæ vere sunt iusta coram Deo; iustitiæ suæ, id est, operibus suis iustis factis in lege sine fide, quæ non poterant esse vere iusta coram Deo, sed solum exterius, & in facie hominum. Idem, libri quinti capite quinto: Loquitur de iustitia & operibus, quæ fidem & gratiam Dei præcedunt: nam ideo fidei & gratiæ illa opponit.

IV. Sed evasio est inutilis. Nam, distingui iustitiam nostram, vnde habent Sophistæ? Certe Pauli verba discrete iustitiam distinguunt, in iustitiam nostram, & iustitiam ex fide. Enimvero, cum animal dicitur, aliud rationale, aliud brutum; quis stupor est, sic interpretari, ut animal rationale dicatur distinguatur? Egregiam vero Iesuitarum Logicam! Quare etsi consideremus iustitiam nostram aliquam esse à nobis, aliquam ex Deo: tamen utramque verisimiliter nos complecteremur vno fæce: quandoquidem Paulus non nostram aliquam reicit. Quomodo, si vitæ æternæ capacia dico esse animalia rationalia, non autem irrationalia: etsi verum sit irrationalium alia esse bipeda, alia quadrupeda; tamen omnes intelligunt tam bipeda, quam quadrupeda excludi à salute.

V. Deinde, supponitur distinctionis membrum falsum: quia iustitia nulla nostra est, ex viribus naturæ, lege monstrante & cogente. Testis Paulus ad Rom. 3. Propterea ex operibus legis nulla caro iustificabitur in conspectu eius: per legem enim agnoscitur peccati. Neque adeo verum, legem absque fide vquam operatam esse ullam iustitiam in villo homine.

VI. Porro, iustitiam Dei, qua ipse iustus sit, ne nobis obiiecto, Iustiniane; qui longe absimus ab eo somnio: neque tamen propterea sperato nos, hac remota, concessuros illam, quam Deus facit in nobis. Nam hæc, etsi fiat à Deo, tamen nostra est. Quomodo, quis nescit fidem sic fieri à Deo: tamen, & Matth. 9. Videns Iesus fidem illorum, fides tua te servavit. Ad Rom. 5. Per mutuam fidem, vestram simul & meam. Similiter opera sunt à Deo: vnde Ioan. 6. Ut operemur opera Dei. Et tamen Matth. 5. Ut videant vestra bona opera. Prioris ad Cor. 3. Si cuius opus manserit. Prioris ad Thesal. 5. Propter opus ipsorum. Apocal. 2. Scio opera tua. Atqui hæc iustitia, quam Deus efficit in nobis, est iustitia operum: quare etiam iustitia nostra.

VII. Quid autem Iustinianum iuvat, tam aperte mentiri in citandis auctoribus? Nam certe Chrysostronus, Oecumenius, Theophylactus, non interpretantur iustitiam in nobis factam à Deo. Audiamus Oecumenium primum, οὐκ εἶπε δικαιοσύνην, ἀλλ' αὐτοδικαιοσύνην, ὅπου μετὰ τὸν αὐτὸν θεοῦ δικαιοσύνην. Θεοῦ ἡ δικαιοσύνη, τὸ μὴ εἶναι ἕρπον, ἀλλ' ἀληθῆς συγγρηγορίας δικαιοσύνης. Non dixit, iustificamur; sed ipsa iustitia, quod plus est: & Dei iustitia. Est autem Dei iustitia, non ex operibus, sed ex indulgentia iustificati. Chrysostronus magnificentiore, οὐκ εἶπε δικαιοσύνην, ἀλλ' αὐτοδικαιοσύνην, καὶ θεοῦ δικαιοσύνην. Θεοῦ δικαιοσύνην, ὅταν μὴ εἴη ἕρπον, ὅταν καὶ καλῶς αὐτοδικαιοσύνην καὶ ἀληθῆς συγγρηγορίας δικαιοσύνης. Billius interpres: Non iusti, sed iustitia ipsa, atque adeo Dei iustitia. Dei enim ipsa est, quum non ex operibus, (nam in iis nullam labem inueniri necesse esset) sed ex gratia, quæ peccatum omne delet atque extinguit, iustificamur. Satin vterque τοῦ αὐτοῦ θεοῦ δικαιοσύνης. Atqui indulgentia, remissio, non est iustitia facta in nobis. Augustinus, siue operibus. Atqui haud absque operibus, iustitia in nobis facta.

VIII. Nec alia mens Theophylacti: vix etiam verba, Vt nos Dei iustitia efficeremur, non ex operibus vel lege, sed Dei, ex gratia: id enim designat Dei iustitia, cum gratis quisquam iustus efficitur, cumque nulla in eo deprehenditur labes. Et ideo, nequaquam dixit, ut iusti efficiamur, sed Dei iustitia, gratia arguens immensitatem. Enimvero, ut alia mittam, in præcedentibus observat: quæ illud est, nulla in eo deprehenditur labes, quo describitur vis huius iustificationis: Nam certe in iustitia illa formali, & cuique etiam sanctissimo inhaerente, constat falsum, esse nullam deprehendi labem: mentimur enim, teste Apostolo, si dicamus nos peccatum non habere. Sed venissimum est, de hac imputata iustitia, quam nos defendimus. Nam apud Deum, is cui Christi iustitia imputatur, eodem loco est, ac si non peccasset, imo peccaret omnino nunquam.

IX. Theodoretus, Mortem peccatorum subiit, ut hominum peccatum solueret; & id vocatus, quod nos eramus, nos fecit id quod erat: iustitia enim opes nobis donavit. Hæc ille, in quibus quid est, quo iustitia inhaerens designetur? A peccatum solvere? Sed peccatum soluitur per imputationem, & quidem magis, quam per inhaerentiam: quia hæc imperfecta, illa perfecta iustitia est. An quod fecit nos; quod erat? Eadem ratio: non enim fecit per inhaerentiam quod erat: nimirum perfecte iustos, sed inchoative tantum. At per imputationem perfecte. An denique, quod opes iustitiæ donavit? Atqui opes sunt vel ipsa iustitia, vel iustitiæ fructus, id est, salus. Vtrumvis dicas, longe maius imputationis pondus. Nam quæ potiores iustitiæ opes, quam perfecta iustitia? Perfecta autem imputata. At inhaerens egenam, mendicam. Denique clamans, Quis liberabit me de corpore mortishuius. Et salutem quia non audivit constare sine operibus: id est, iustitia inhaerente?

X. Superest Augustinus. Hunc audiamus, Enchiridii cap. 41. Ipse ergo peccatum, ut nos iustitia: nec nostra, sed Dei sumus: nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit. Enimvero vicimus, nisi Augustinus vincitur à Iesuitis. Nam ne Calvinius quidem potuisset in nostram sententiam hunc locum transferre potentius, discretius, magnificentius. Primum: Nos facti iustitia Dei, quomodo Christus peccatum, non suum, sed nostrum. Et hæc inhaerentia est? Hæc inquam, inhaerentia esse potest, & non potius imputatio? Deinde, non in nobis, sed in ipso. Leuius Oecumenius in autem, δι' αὐτοῦ in ipso interpretatur, per ipsum. At Augustinus opponit in ipso, in nobis, & illustrat: sicut ille peccatum, non in se, sed in nobis, non causam instrumentalem designans, sed subiectum, aut quasi subiectum. Nam certe peccatum factus est Christus non per nos, sed in nobis, hoc est, quia id peccatum in nobis fuit inhaerenter, in illo tantum imputatiue.

XI. En tibi fidem Iesuiticam? Patres laudabat aduersum nos Iustitia-
tus, omnino quinque, Chryostomum, Theodoretum, Oecumenium,
Theophylactum, Augustinum. Et laudabat tantum nominatos, quasi res
esset manifestaria; nec diligentiore inquisitione vestiganda. Et tamen horum
nemo non pro nobis testimonium dixit. Ita Bellarminus, & exclamaret; Debe-
rent vel unum ex tota vestigata producere, qui ea loca ita exposuisset. Scilicet id
Papistarum ingenium est; ut ea extare non putent, quae videre nolint. Poly-
bius lib. 4. *Αὐτὸς δὲ καὶ οὐκ ἔστι τὸ ἐκείνῳ ἢ πρὸς αὐτὸς ἐπιμύθη, μηδὲ πρὸς ἄλλους ὀφεί-
λει. Αἰσθησις ἐστὶν ἐκείνῳ, ἢ πρὸς αὐτὸς ἐπιμύθη, μηδὲ πρὸς ἄλλους ὀφεί-
λει. Αἰσθησις ἐστὶν ἐκείνῳ, ἢ πρὸς αὐτὸς ἐπιμύθη, μηδὲ πρὸς ἄλλους ὀφεί-
λει. Αἰσθησις ἐστὶν ἐκείνῳ, ἢ πρὸς αὐτὸς ἐπιμύθη, μηδὲ πρὸς ἄλλους ὀφεί-
λει.* Amentia est cum malitia coniuncta, si quis putet, cum ipse oculos nictatione ob-
nubet, nec alios quidem oculos vti.

CAP. IX.

De Iustificatione sine operibus.

I. Secundum argumentum. Vera iustificatio est, qua homo iustificatur a-
pud Deum. At iustitia inherens, nemo homo iustificatur apud Deum.
Ergo iustitia inherens non est vera iustificatio. Maior patet, ex statu qua-
estioni. Constat enim disputari de ratione qua quis agnoscatur à Deo iustus:
sic enim posuit ipse Bellarminus; inquiri nimirum, quanam sit vera ac pro-
pria causa, propter quam homo possit dici iustus coram Deo. Et certe quan-
doquidem ab eo solo sperandus fructus Iustificationis, vita aeterna, quid iu-
uaret apud alium quencunque iustificari? Itaque Paulus, ad Rom. 5. *Iustifi-
cati pacem habemus apud Deum.*

II. Minor probatur, quia si iustitia inherens iustificaret, ergo opera
iustificarent. Consequentia est necessaria, quia ipsa illa iustitia inherens
tota consistit in operibus; saltem in habitu ex quo opera: Atqui ope-
ra non iustificat. Hoc vero plusquam est manifestum ex Paulo: cui vix quic-
quam saepius dictum, constanti uel assertum: nihil certe prolixius disputa-
tum, ut videre est ex Epistolis ad Romanos; & Galatas. Nos Pauli primo a-
xiomata, deinde etiam argumenta considerabimus.

III. Ad Romanos tertio, *Propterea, ex operibus legis nulla caro iustifica-
bitur in conspectu eius. Colligimus igitur, fide iustificari hominem absque ope-
ribus legis. Quarto, Sicut etiam Dauid pronuntiat beatum eum hominem, cui Deus
imputat iustitiam absque operibus. Ad Galatas 2. Scientes non iustificari homi-
nem ex operibus legis: sed per fidem Iesu Christi: etiam nos, qui in Christum Iesum
credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propterea quod
non iustificabitur ex operibus legis ulla caro. Ad Ephesos 2. Gratia estis seruati
per fidem: idque non ex uobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis gloriatur.
Ad Titum tertio, Postquam bonitas & erga homines amor apparuit Seruatoris
nostri Dei, non ex operibus iustus, quae fecimus nos, sed ex sua misericordia serua-
uit nos. Nihil istis fingi potest disertius, ad remouenda opera à Iustifica-
tione.*

IV. Aduersarij magnam litem mouent; quomodo, quoue sensu, intel-
ligenda sint opera: Vniuersaliterne omnia, an vero specialiter quaedam. Catho-
licis expedita fides; omnia significari: ut sensus sit, Iustificationem nostri
apud Deum, nullis omnino conitare bonis operibus; siue ut materia, siue ut
forma. Quod post paulo uiderimus.

V. Sed illi distinguendi sibi causam esse putarunt idoneam, tum quod
apud Paulum legant, ad Romanos secundo. *Non auditors legis iusti sunt apud
Deum, sed factores legis iustificabuntur:* tum quod audiant à Iacobo, cap.
secundo, *Abraham ille pater noster nonne ex operibus iustificatus est? & uide-
tis igitur ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantum? Nam uerba
quidem ipsa praefertunt ad uerba speciem: cui tollendae necessaria est distin-
ctio. Hae, inquit Andradius, cum pugnare mutuo non possint, fit certe, operum
nomen non idem apud duos hos sanctissimos Apostolos ualere. Quod prolixius
Moquotus exsequitur, tomo priore Censurae Bibliorum, c. 13. p. 2.*

VI. Nos uero etiam ipsi concedimus esse distinguendum. Quis enim
tam vecors, qui nulla admissa distinctione, effecturum se speret, ut illis si-
mul omnibus sua constet ueritas? Non enim extinxit auctoritas uerbi Dei
ignem illum inextinguibilem, quae negat de eadem re ueram esse alterutram duntaxat,
uel affirmationem, uel negationem. Quid ergo? Nempe negamus sequi, si
fit distinguendum, ergo opera non eadem utrinque intelligenda. Et hoc
est in quo deficiunt Papistae. Nobis enim certissimum, ipsdem de ope-
ribus sermonem institui, cum siue Paulus dixit, iustificari factores legis, siue
Iacobus, ex operibus hominem iustificari: Et cum negauit Paulus ullam
carnem ex operibus iustificatum iri. Scilicet, quia super sit distinctio ipsius
Iustificationis. Paulum enim explicare tertio ad Romanos & similibus lo-
cis; quomodo, quare ratione fiat ea iustificatio, qua restituuntur peccatores
in spem uitae.

VII. At secundo, longe aliter: nimirum, quomodo intelligenda sit iu-
stificatio ex lege: id est, quid sit supponendum ijs, qui se profitebuntur iu-
stificari uelle ex lege. Scilicet, non se audire legem, & in ea probe esse eru-
ditum; sed se idipsum, quod scit à lege mandatum, obseruare adamussim: ut
capite decimo, *Moses describit iustitiam qua est ex lege, Quod qui praestiterit
ea, uiuet per illa.* Et uero ut scias ita esse, Paulus uersatur in eo argumento,
quo primum probat, neminem iustificari ex lege: nimirum, quia nemo le-
gem obseruat. Itaque argumentum sic formandum. Quicumque iustifi-
catur per legem, implet legem: At nemo implet legem: Ergo nemo iustifica-
tur per legem. Maior patet; quia non auditors legis iusti apud Deum, sed
factores iustificabuntur. Non sunt autem contradictoria; Eos qui implet
legem iustificari: & neminem iustificari ex operibus legis. Itaque haec di-
stinctio plane & perspicue tollit, quicquid apparebat contradictionis.

VIII. In Iacobo alia ratio est. Huic enim negotium fuit, cum eo ge-
nere hominum, qui illud, iustificari fide absque operibus, perperam inter-
pretabantur: quasi iustificatio nulla essent bona opera necessaria faciendae:
itaque non quoddam genus operum negligebant: sed indiscrete omnia: de-
nique, opera segregabant, non à causa iustificationis, sed omnino à iustifi-
catione. Quod genus monstruosa haeresis nobis Papistae affingunt pleri-
que omnes. Certe Andreas Fabricius Leodius, ad articulum quartum Con-
fessionis Augustanae; & calumniam exaggerauit, & hanc distinctionem si-

mul expressit: *Hic articulus, inquit, iuxta Apologiam declaratus, ex schola
Simonis Magi, contra Ecclesiam Catholicam consensum, est repetitus. Docuit enim
ille, ut autor est Irenaeus libri primi capite vigesimo, suos sectatores libere agere
posse qua uelint, perque gratiam saluari homines, non autem secundum opera-
tiones iustas: eoque ipsorum mystici sacerdotes omnem immunditiam exercere
non uerebantur. Autor est D. Augustinus libro de fide & operibus, quod ha-
ereticus haeresis occasione Apostolus Iacobus suam Epistolam canonicam scripserit, ut
uariatatem fidei solius sine operibus retunderet. Quare etiam & in Paulo &
in Iacobo opera omnino eadem intelligantur, tamen constat utriusque dicti
ueritas. Longe enim aliud est, negare, Iustificationem nostri constare ex o-
peribus, tanquam siue materia, siue forma: aliud, Iustificationem nulla de-
bere sequi bona opera.*

IX. Sed enim in distinguendo scindunt se in partes Papistae. Sunt enim
qui legem moralem distinguunt à ceremoniali. Olim Lombardus, *Ope-
ra legis dicuntur, qua cum lege instituta, & terminata sunt, ut erant cere-
monialia & figuratiua, qua nunquam ualuerunt conscientiam mundare, etiam si
cum caritate & deuotione fierent. Dauentria, Paulus non omnia opera excludit
à Iustificatione, sed tantum opera legalia, qua ad mortem Christi omnia morti-
ficata sunt & enervata. Virucius Philippica quinta. Non de morali lege De-
calogo contenta, sed de Mosaica pronuntiat Paulus. Et prolixius sexta, Nos re-
spondimus, & nunc demum respondemus, non ibi agi de lege morali, qua & na-
turalis est, sed de lege ceremoniali, qua peculiariter solis est data Iudaeis. Adde
Renatum Benedictum in Panoplia: & Alphonsum de Castro de Fide, haeresi
secunda. Et profert Dominicus à Soto in tertium ad Romanos huius distin-
ctionis argumenta. Primum, non esse uerisimile Paulum negare, inesse iu-
stitionem apud Deum mandatis illis, quae ad ipsius cultum pertinent, frater-
namque inter mortales caritatem fouent, atque adeo quibus proposita est
uita aeterna: sed solis illis quae iam obsoleuerunt ceremonijs. Secundum;
quia capite quarto Abrahamum dicit iustificatum ante Circumcisionem: At
haec fuit inter ceremonias. Ergo & hae ceremonias denotat appellatione leg-
is. Tertium; quod ad Galatas secundo, reprehensi Petri causam exprimat,
Scientes quod non iustificetur homo ex operibus legis: & tamen reprehendebat
tantum, quod nimis esset ceremoniarum obseruator. Quartum Viru-
cius addit ab auctoritate Ambrosij, *Gentilem dicit hominem pro certo haberi,
quod iustificetur credens, nulla faciens opera legis, id est sine Circumcisione, aut
neomenijs, aut ueneratione Sabbati.**

X. Sed hoc effugium longe pluribus Papistis displicuit: Thomae, *Est
autem duplex opus legis: quoddam quidem est proprium legis Mosaicae, sicut ob-
seruatio ceremonialium preceptorum: quoddam est opus legis naturae, quia perti-
net ad legem naturalem, sicut, non occidas, non furtum facias. Quidam ergo hoc
intelligunt dictum esse de primis legis operibus, scilicet, quod ceremonialia gratiam
non conferbant, per quam homines iustificantur. Non tamen ista uidetur esse
intentio Apostoli. Et post, Apostolus inuenit, quod ex omnibus operibus legis, et-
iam qua per precepta moralia mandantur, non iustificatur homo, ita quod ex o-
peribus in eo causetur iustitia. Ex recentioribus Thoma, Dominicus à Soto,
proposita hac sententia, eiusque rationibus, *Hae ueruntamen, inquit, argu-
menta nihil obstant, quominus sancti omnes enarratores, & cum primis Au-
gustinus de spiritu & littera capite quarto, consentiant, preceptiones hic etiam
num subnotari morales, nempe Decalogum ipsum, cuius opera per se non iustificat.
Huc eunt, Toletus, Pererius, Salmero, Iustinianus.**

XI. Et uero ita esse his conficitur argumentis. Primo; quia haec lex ea
est, per quam agnitio est peccati. Id Paulus ipse clamat, *Ex operibus legis
nulla caro iustificabitur in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. At haec
lex, per quam agnoscitur peccatum, moralis est: Ipse eodem Paulo teste, ad
Romanos septimo, Peccatum non cognouissim nisi per legem: nam etiam con-
cupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Hoc argumentum
Thomas tangit.*

XII. Secundo, Haec lex illa est, quam qui transgrediuntur, rei sunt
furti, homicidij, & similibus peccatorum contra legem naturalem: Ergo si-
gnificat ipsam legem naturalem. Illud patet ab ipsa serie, *Scimus quacumque
lex dicit, ijs qui in lege sunt dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus
mundus condemnationi Dei: propterea ex operibus legis nulla caro iustificabitur.*
Vade manifestum, legem intelligi in posterioribus uerbis eandem, quae in
prioribus. At illa priora, quacumque lex dicit, significant moralem. Hoc patet
ex praecedentibus locis citatis à Paulo; quibus opprobrantur Iudaeis trans-
gressiones non ceremonialium, sed moralium mandatorum: *Non est iustus
ne unus quidem: non est qui intelligat: non est qui exquirat Deum: non est qui
faciat bonum. Sepulchrum aperit, guttur eorum: lingua sua ad dolium uisi sunt
uenerunt aspidum sub labijs eorum: quorum os diris, & amarulentia plenum est:
veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

XIII. Tertio, quia uniuersaliter pronuntiat, nulla caro iustificanda
ex operibus legis: nulla caro, id est, ut consentiunt omnes interpretes, nul-
lus homo, non Iudaei soli, sed etiam Gentiles: siue, ut paulo ante, *uis uis
& uis uis*, totus mundus. Lex ergo illa eiusmodi intelligenda, cui etiam gentes
obnoxiae fuerint. At illis nunquam fuit imposita lex ceremonialis, sed tantum
moralis.

XIV. Quartum addo ex Salmerone, *Paulus opera legis excludit à iusti-
ficatione, neque debemus limitare, quod ipse non limitauit. Cum autem Decalo-
gus praecipua pars sit legis, si hac iustificaret, diceretur principaliter lex iustifica-
re, et si quaedam eius pars minus principalis non iustificaret.*

XV. Ad opposita argumenta respondeo. In primo supponi falso, Pau-
lum negare inesse iustitiam apud Deum mandatis illis legis. Longe enim
id aliud est, quam negare ex operibus legis neminem iustificari, quod ve-
rum disputat Paulus. Disputat autem non ex ipsius legis defectu: sed ex
nostro: nimirum quia, ut in octauo loquitur, lex infirmata sit in carne, adeo
ut non posset in nobis impleri ius eius. Negat ergo ex ea quencunque iustifi-
cari, quia negat quencunque implere eius opera, ut erat necesse. Nam si sup-
ponas contra, aliquid implere, tum ille pronuntiabit cum ipsa lege, *haec fac
& uiues*: Imo repetet illud suum, *Non auditors legis iusti sunt: sed factores iu-
stificabuntur.*

XVI. In secundo, nulla vis est. Primum, quia aliud est excludere cere-
monias, aliud solas ceremonias. Excludat sane circumcissionem, quae inter
ceremonias: sed non excludere opera moralia, inde nemo conficiat. Secun-
do, Pau-

Paulus in circuncisionis mentionem venit, non ut probaret, non iustificari homines ex lege: sed potius, iustificationem, non eximiam esse Iudæis, sed propositam etiam gentibus. Sic exponunt Thomas, & Toletus, & Dominicus à Soto.

XVH. In tertio, par infirmitas. Nam opera legis cum rejiciuntur, non ceremonialia tantum, sed etiam multo magis moralia vno falce comprehenduntur. Quare, potuit Paulus à ceremonialibus occasionem sumere latioris disputationis. Siue maioris usum ceremonialium coercere ex generali doctrina de operibus legis, maxime cum ceremoniarum obligant ad observationem legis moralis: vnde, capite quinto, Testor rursus omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis seruanda. Quare qui reuocabant usum ceremonialium, hoc necesse erat ex consequenti, inducere iustificationem ex operibus legis.

XVIII. In quarto: primum, non sequitur, si nominauit Ambrosius ceremonias, ergo non comprehendit opera moralia. Deinde, vni Ambrosio opponimus Augustinum de Spiritu & litera, capite nono: At ne quisquam putaret hic Apostolum ea lege dixisse, neminem iustificari, qua in Sacramentis veteribus multa continet figurata praecepta, vnde etiam ipsa est Circumcisio carnis, quam die octauo accipere paruuli iusti sunt, continuo subiungit, quam legem dixerit, & ait, Per legem enim agnitio peccati. Illa igitur lex est, de qua postea dicit, Peccatum non noui nisi per legem. Et decimo quarto, Quamuis itaque illos, quibus Circumcisio persuadebatur, ita corripere atque corrigere videatur Apostolus, ut legis nomine eandem Circumcisionem appellet, ceterasque eiusmodi legis observationes, quas tanquam umbras futuri, iam nunc respiciunt Christiani, id tenentes quod per illas umbras figurate promittebatur: tamen legem, ex qua neminem dicit iustificari, non tantum in illis Sacramentis, qua habuerunt promissiuas figuras, verum etiam in illis operibus vult intelligi, qua quisquis fecerit, iuste viuunt. Theodoretus etiam disertè vtramque legis partem intelligit. Theophylactus, legem non Moysi solum, sed vetus omne Testamentum.

XIX. Hac igitur explosa distinctione, aliam oportuit comminisci. Opera legis alia praecedere fidem, alia sequi: sic enim Beccanus expressit. Et Alphonsus de Castro paulo prolixius, Potest aliter aliter responderi (non enim priorem improbat distinctionem) ad hoc argumentum, ut dicamus, Paulum loqui in illis locis de operibus ante fidem susceptam factis, qua omnium consensu nullius sint meriti apud Deum, & de his nos etiam fatemur nihil profusus agere ad hominis iustificationem: nam etsi illa sint aliquando necessaria ad iustificationem, ut poenitentia in peccatore, nunquam tamen illis imputabitur iustificatio. Opera autem de quibus nos contendimus esse necessaria ad iustificationem sunt opera facta post fidei susceptionem. Paulo aliter Dauentria, De operibus eorum intelligit, qui tantum tribuebant suis viribus, ut ex eis sine gratia Dei, iustificari se viderent: non excludit opera, qua ex lege Christi tenentur tam iusti, quam peccatores facere: isti ut iustificentur, illi ut iustificentur magis, qualia sunt contritio, poenitentia, oratio, elemosina, ieiunia, & alia id genus, qua iustificanc peccatores. Rursus aliter Salmero, in ad Romanos disputatione vigesima quinta, Dicendum est, opera legis dici illa, qua ex vi legis eliciuntur. Nam, quod ad substantiam operis attinet, vnum & idem opus possunt praestare vel Pagani, vel Mahumetani, vel Iudæi, vel Christiani: sed distinguuntur penes hoc, quia Christi vni illa praestant, ut Christo obediant, & propositum à Christo praemium assequantur: Pagani vero sunt, qui eadem opera eliciunt, quia ratio, vel honestum praescribit: Mahumetanus vero, ut Mahumeto pareat praecipienti, & promissa ab eo carnalia percipiant. Ita Iudæus: qui ut pareat Moysi legem danti, & promissa temporalia pollicenti, opera legis praestat. Hac autem cum à principio maiori non oriantur, id est, à fide, & gratia Dei, sed tantum à lege comminante poenas temporales, vel alliciente carnalibus promissionibus, ea sunt, qua proprie opera legis dicuntur. Eandem distinctionem probant Dominicus à Soto, & Iustinianus; in tertium ad Romanos: & Cunerus Petri de Iustificatione cap. 6.

XX. Veruntamen reuocamus Salmeroni in mentem, quo ille argumento utebatur aduersus praecedentem distinctionem, Nō debemus limitare, quod ipse non limitauit Apostolus. Et addo, non magis hanc, quam illam niti verbis Pauli.

XXI. Secundo, etiam inepta distinctio est. Nam Apostolus docet, eum qui iustificari velit ex operibus legis, debere vniuersam legem implere. Tum autem si rejiciuntur opera ante fidem, eo tantum quod non facta per fidem: Ergo supponendum esset, aliquem implere legem sine fide; siue, ut loquuntur, ex viribus naturæ. Atqui hoc absurdum est. Nemo enim hominum impleuit vnquam legem, aut implere potuit, ne quidem quoad substantiam operis, ex viribus naturæ. Itaque nulla eiusmodi fuere vnquam opera, qualia imaginantur Papistæ ab Apostolo rejici. Est igitur imaginaria distinctio.

XXII. Tertio. Argumentum quo pugnat Apostolus, æquè valet aduersus opera quæ fiunt ante fidem, quæque post eam. Quare necesse est, de vtriusque eandem conclusionem intelligi. Argumentum ita est. Nemo transgrediens legem, iustificatur ex operibus legis. At omnes transgrediuntur legem. Ergo, nemo iustificatur ex operibus legis. Capite tertio, Scimus quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt dicere: (& recitauerat testimonia, quibus constabat, ab omnibus legem esse violatam) ut omnes obturetur, & obnoxius fiat totius mundi condensationi Dei. Propterea ex operibus legis nulla caro iustificabitur in conspectu eius: per legem enim agnitio peccati. Oecumenius, Ωσαί ελεγε, οτι ο φιλεει ο ισως ο νημε ο εφύλαξαν οι περιηληφότες τα σωταγματα αυτα. επι οδ η σκη εφύλαξαν, εκ περιουσιως και βλαψεν η τη αυτη φουσει, αλλα η τη ποι φου. & εν τω γνωμεν: Quasi diceret, Profuisset vtiq; lex, si qui acceperant eius mandata, obseruassent: at quia non obseruarunt, hac occasione etiam nocuit: non sua natura, sed prout mens fuit eorum qui non obseruabant.

XXIII. In hoc syllogismo, assumptionem Papistæ inflectunt: & pro vniuersali, specialem faciunt. At omnes ante fidem transgrediuntur legem: vt inde conclusio nascatur, Ergo nemo ante fidem iustificatur ex operibus legis. Et vere. Quomodo, quia nullus homo est quadrupes: At qui student philosophiæ sunt homines: Ergo, qui student philosophiæ non sunt quadrupes. Sed si vera & assumptio est, & conclusio: at non πρώτως και δ' ολν. Itaque nos explemus alteram partem: & eodem iure assumimus: At omnes

post fidem transgrediuntur legem: vt concludamus. Ergo, nemo post fidem iustificatur ex operibus. Et hoc assumptum, ne nunc importunè negetur, propria disputatione demonstratum est; cum egimus de imperfectione sanctificationis.

XXIV. Sed causam, quare opera legis non iustificent, assignatam à Papistis operæpretium est attendere. Salmero exposuit disputatione vndecima ad Galatas, Quare hac opera à iustificando excludat, in promptu est ratio: quia hac opera legis, vt talia sunt, non fiunt nisi vt praecepta à Legislatore Moysi: & vt homo per illa assequatur præmia à lege promissa, & supplicia ab ea interminata declinet. Et lex Moysi seruata, vt ab eo lata est, iustificabat, coram hominibus, secundum iustitiam qua in lege est, conuersas sine querela: & iustitiam qua in lege est, qui fecerit homo, viuet in eo: non autem coram Deo: quia non probant talia opera ex principio fidei.

XXV. Sed hæc causa non potest consistere. Primum, quia præsupponendum esset opera legis fieri. At Paulus contra, euincit non fieri: & eam causam assignat cur non iustificent. Christus etiam Dominus noster disertus est, Si vis ingredi in vitam, serua mandata. Vbi manifeste innuit, si seruatur, inducitur in vitam. Sed eam ob rem Paulus 8. ad Romanos, Legem dixit infirmatam in carne; causam indicans, quare non impleteretur in nobis ius eius.

XXVI. Quid plura? Non obseruabatur, nisi vt praecepta à Moysi? Itane? Et non potius, vt praecepta à Deo? Atqui ei nomen perpetuum, יהוה יהוה Lex Dei. Et Legem Dei possit quisquam obseruare, tantum vt ab homine præscriptam: sicut à Mahometo Turcæ? Nam & Mahometum hoc loco copulauit Salmero Moysi, ac Christo. Atqui Dauid Psalmo quinquagesimo primo, Tibi soli peccaui. An hæc eius hominis verba, qui nihil nisi Moysen cogitaret: sicut Turcæ nihil nisi Mahometem.

XXVII. Non fieri, nisi ad assequenda præmia à lege promissa; vitandaque supplicia, concedo. Sed quid hoc rei est? Aut quænam illa præmia, quæ illa supplicia? Nonne eadem, quæ & nos Christiani habemus in animo? Scio Papistas nihil nisi terreste considerare in lege: atque inde hoc deductum. Sed ille Phariseus cur non illis occurrit, Matthæi decimo nono, Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Et putabat iste sibi seruata esse legem exactè. Ergo, inquam, legem obseruabat spe assequendæ vitæ æternæ. Et concordat Christi responsio, Si vis ingredi in vitam, serua mandata.

XXVIII. Dnique hæc causa nulla fuisset in Abrahamo. Non enim hic dici potuit fecisse opera legis Moisaicæ, qui longe antiquior fuit Mose. Non potuit ergo opera fecisse tanquam ab homine mandata, aut propter finem temporalem. Et tamen Abrahamum Paulus profert in exemplum manifestum hominis non iustificati ex operibus. Absurde: si non sit potius absurdus Salmero.

CAP. X.

Neminem iustificari in Lege.

I. Tertium argumentum. Si inhærente iustitia iustificamur, ergo per legem. At hoc falsum: Ergo & illud. Maior patet: quia inhærens iustitia, nihil est nisi habitus hominis conformis legi, vnde post opera sequuntur: quare nec Papistæ iustificationem suam aliter describere potuerunt, quam per realem ablationem peccatorum, & oppositarum virtutum infusionem. Quod si est, tum iustitia illa inhærens est ex præscripto legis, id est, per legem.

II. Minor autem probatur. Actorum decimo tertio, Notum igitur sit vobis, fratres, annuntiarum vobis remissionem per istum: & ab omnibus, quibus per Legem Moysi absolui non potuistis, per hunc quemuis qui eredit absolui. Probatur & ex Psalmo centesimo quadragesimo tertio, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Nam iudicium est secundum legem. Itaque Propheta, cum deprecatur iudicium, ostendit, nolle de se pronuntiarum secundum legem. Itaque ratio addita necessario significat, neminem iustificari secundum legem.

III. Argumentum dissimulant: locos expendunt, Bellarminus priorè, posteriorem Salmero. Bellarminus, Per Christum, significare efficientem causam, vt Prouerbiorum octauo, Per me reges regnant. Cum autem sit Christus, siue eius iustitia, causa efficiens nostræ iustitiæ, non posse esse formalem. Deinde, Annuntiarum, non significare, ex sola annuntiatione fide apprehensa, homines iustificari: sed annuntiarum remissionem omnibus, qui credunt vt oportet: id est, faciunt quicquid ille fieri iussit. Neque enim qui credit Medico, quamuis peritissimo, & infallibiliter curanti, sanatur, nisi pharmaca ab illo instituta recipiat. Tertio, etsi sola remissio peccatorum nominetur, tamen non ob stare, quominus intelligatur, constare iustificatio remissione peccatorum, & infusione iustitiæ: quia alijs multis locis mentio fit sanctificationis, mundationis, abluionis, renouationis. Quarto, Non potuisse iustificari in lege Moysi, significare obseruationem legis proprijs viribus, vel sola ipsa lege iuuante præsumptam, non iustificare: non quod vera legis obseruatio non sit iustitia, sed quod lex ante remissionem peccatorum seruari non possit.

IV. Sed Bellarminus, vt videretur diligens otiose, secundum gratis, nescio vnde huc contulit. Certè nunquam Caluinus ab annuntiatione est argumentatus: neque dixit, ipsam annuntiationem, si fide apprehendatur, iustificare. Ea caritas est Lololítica, vt aduersarijs omnia sua imputent. Caluinus dixit tantum, Eam remissionem, quam toti populo suo annuntiarum velit Deus, omnibus necessariam esse demonstrat. Id vero, quid habet simile somnio Bellarminiano.

V. Ne tertium quidè est Caluini: Et rursus imponit ei, Illud, remissio peccatorum, significat iustificationem, nulla alia in repositam esse, quam in remissione peccati. Nam, etsi hoc verè affirmatur, tamen concludi non potest à solo remissionis nomine: neque Caluinum adeo oportuit esse λεπτόλογον, quæ alijs argumentis abundaret. Fatemur ergo hoc nomen non ob stare, quominus iustificatio diceretur constare etiam infusione iustitiæ: si alibi sic doceret Scriptura. Sed hoc nos negamus, atque adeo ea nunc disputatur

contra.

fontiueria. Concedimus multis alijs locis nominari & sanctificationem, & renouationem: sed negamus vsquam doceri ex ijs constare nostri iustificationem, siue reconciliationem.

VI. Quod autem primo loco admonet; negari non potest, ea phrasi significari causam efficientem: neque nostrum quisquam ambigit ita intelligendam hoc loco: quis enim negat Christum esse efficientem causam nostre iustificationis; siue summam, qua Deus est: siue subalternam, qua incarnatus, & Mediator? Concedimus etiam, si sit efficiens, non posse esse formam. Sed stupide Bellarminus fallitur, confundens Christum cum Christi iustitia. Enimvero falsum, Christi iustitiam aliter posse esse causam nostre iustificationis, quam formaliter, vt Bellarminus: siue materialiter, vt nos malumus loqui: quod nos iam sepius monuimus.

VII. Quartum est violentum. Significat, inquit, legis obseruationem proprijs viribus presumptam, non iustificare. Imo, inquam, vbi, aut vnde illud, proprijs viribus presumptam? Nam certe nulla litera, nullus apex eius argumenti est in verbis Apostoli. Nos instamus: Et legem dicimus, significare obedientiam legis: non vero obedientiam presumptam ex proprijs viribus. Itaque addimus vniuersaliter, per legis obedientiam, siue aliter, neminem iustificari: & argumentum habemus potens ab ipso Apostolo hanc proponente Iudais: & quidem iis quos ab initio concionis descripsit, timentes Deum, *Viri fratres, qui timentis Deum, audite*. His vniuersam ipsi dictum, *non potuistis in lege Moysi iustificari*. Ergo illi ipsi timentes Deum non poterant in lege Moysi iustificari. At timentes Deum, ex phrasi Scripturæ, pii sunt & fideles: nemo autem pius & fidelis obseruationem legis presumit suis viribus. Ergo, ij ipsi qui obseruationem legis non presumunt suis viribus, non possunt iustificari in lege: siue per legem: quod nos volumus; nec confutat Bellarminus.

VIII. Alterum locum expendens Salmero disputatione septima ad Galatas, primum, notat simpliciter verum non esse, quod in conspectu Dei nemo sit iustus, & opponit Zachariam, Elizabetham, Abelem, secundo, hominum alios viuere in Adam, & peccatores esse: in alijs Christum viuere. De illis verum esse, neminem iustificari coram Deo: & de iisdem loqui Prophetam: *At istos non formidare tribunal Christi*. De illis loqui probat: quia Psalmus sit penitentialis: ideoque loquatur Dauid indutus personam peccatoris. Penitentialem esse probat autoritate Septuaginta, qui prænauerunt, *Psalmus Dauid, quando persequatur eum filius suus*, nimirum ob peccata adulterij & homicidij.

IX. Atqui, prior obseruatio nugatoria est. Quis enim negauit in conspectu Dei aliquem esse iustum? atque adeo illos ipsos, Zachariam, Elizabetham, Abelem? Neque nos sanè: neque adeo Propheta ipse. Nam & nos hæremus Prophetæ verbis: & Propheta dixit, neminem iustificatum iri, si intrerit cum eo Deus in iudicium, id est, si de eo pronuntiet ex præscripto legis. Iansenius, *Dicendum est, non simpliciter intelligendum quod dicit, sed cum conditione, qua petenda est à præcedenti parte*. Non enim dicit: *non iustificabitur omnis homo coram te: sed, non iustificabitur, scilicet cum ipso volueris in iudicium venire*. Hoc autem modo constat omnino sententia Prophetæ: neque vllam admittit exceptionem; nisi vnius Christi. Nam Zacharias, Elizabetha, Abel, nunquam iudicati sunt ex formula legis; sed ex gratuita misericordia.

X. In secundo membro; nihil est quod admodum negemus: si illud demas, quod est à Septuaginta. Non enim habuerunt ab Hebraica veritate illud, *quando persequatur illum filius suus*: Et Genebrardus obseruauit non congruere, *Nam reuera, inquit, argumentum est generalius, quam vs ad persecutionem vel Saulis, vel Absalon coercere*. Sed quid tum? Nam penitentialem Psalmum esse agnoscimus: & veros exprimeret viuosque affectus hominis affecti sensu suorum peccatorum: quomodo omnes oportet affici, qui volent non excludi à gratia, vitæque æterna. Hunc ita affectum induisse personam peccatoris ablit vt negemus: nam hæc theatrica persona non est alienus sensus ludentis: sed Christiana, suam miseriam deplorantis. Itaque vehementer falsum, induisse personam viuentis in Adam, non viuentis in Christo. Nam quis viuens non nisi in Adam potest tam seriam, tam piam penitentiam agere? Longe ergo melius Iansenius in paraphrasi, *Si iudicium nobiscum intrare velis, non ego solum, sed nullus omnino super terram viuens* (attende Salmero) *quantumuis apud homines iustus & irreprehensibilis, iustus deprehenditur apud te, cum nullus sit, in quo non multa reprehendere possis, & multo plura exigere, quam præstiterit*. Et in annotatione, *Cauendum est ne ea oratio intelligatur secundum Dialecticorum regulas, secundum quas non omnis valet idem quod aliquis: non enim vult Prophetæ, aliquem viuentem, non iustificari coram Deo, sed omnino neminem*. Quorum ergo illa Salmeronis distinctio: Sunt sane qui viuunt in Adamo, sunt qui viuunt in Christo: sed de vtriusque loquutum Prophetam necesse est: alioquin secundum Dialecticorum regulas: falso esset loquutum.

CAP. XI.

De iustificatione gratuita, De operibus ante & post fidem. De imperfecta iustitia. De infantibus. De Paulo nil sibi conscio.

I. Quartum argumentum. Nihil quod fit ex operibus, gratuitum est. At iustificatio est gratuita. Ergo iustificatio non fit ex operibus. Argumentum est ab ipso Paulo; opponente constanter id quod fit gratis, ei quod ex operibus: atque eo sensu gratiam operibus.

II. Ad Romanos vndecimo, *Si per gratiam, non iam ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia: alioquin opus, iam non est opus*. Et 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito: ei vero qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia*. Salmero disputatione trigesima quinta ad Romanos, *Pugnans, aliquid gratis donari, & operibus reddi: sicut gratuitum, & in-*

stum, indebitum & debitum. Et hanc eandem inferendi rationem secutus est Apostolus capite quarto in huius Epistola principio. Iulianus, *Antithesis est operum & gratia: perinde ac si quod est ex operibus, nequeat esse ex gratia: & quod ex gratia procedit, non pendeat ex operibus*. Dominicus à Soto, *Pugnans secum, gratis quicquam donari, & operibus reddi: est enim hoc iustitia optis; utpote merces, vel premium: quam quidem iustitia rationem gratia excludit; cuius opus est mera donatio*. Bernardus in Canticum, sermone sexagesimo septimo, *Non est quo gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Ergo iam plena confessio gratia, ipsius gratia plenitudinem signat in anima contentis. Nam, si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam cadere illi necesse est. Nolo meritum, quod gratiam excludat*. Augustinus Epist. 105. *Si gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata*.

III. Manifestus ergo syllogismus est: quem vidit Dominicus à Soto; sed infirmauit Sophistice, pro verbis Pauli, sua substituens, in quartum ad Romanos, *Sunt ergo, inquit, verba hæc in formam talis syllogismi construenda. Si quis obtineret iustitiam apud Deum, tanquam operans secundum legem, talis iustitia non conferretur ei quasi gratia, sed retribueretur ei tanquam iusta merces, quæ debetur operanti. Si autem impenditur nunquam antea operanti, ob hoc quod credit iustificatori pollicenti, illi certe non redditur tanquam debita, sed confertur gratis ob solum propositum, hoc est gratiam voluntatem pollicentis. Hoc autem secundo modo fit iustificatio impij: Ergo fit gratis per fidem, & non redditur tanquam operibus debita. Viden vtritiem? Nunquam antea operanti. Atqui Paulus dicit, non operanti. Vnde ergo restrictio est?*

IV. A mala nimirum mente; vt vim vtilitatis occupando eneruarent, Nam & Stapletonus, Auridoto in eum locum, *Ostenat Paulus, inquit, discrimen inter operantem sine fide & gratia Mediatoris, & inter credentem in Mediatorem, sine vllis bonis operibus fidei præcedentibus: At, illum mercedem expectare secundum debitum, non secundum gratiam, quia ex se & suis viribus se bene operatum existimat: hunc vero iustitiam consequi, id est, ex impio fieri iustum, non vllis meritis suis: sed beneficii gratia Dei, à quo fidem aliusq; ad iustitiam dispositiones accipit*.

V. Sed hæc est eadem crambe, quam explosimus præcedenti capite. Quid illa nunc reposita potest habere nouarum vitium? Itaq; repetendum, nullum esse bene operantem sine fide: nulla esse bona opera fidem præcedentia. Sed & Paulum absolute dicere, non operantem. At qui operatur post fidem, non potest dici non operans.

VI. Quintum argumentum. Si ex operibus iustificetur quis: Ergo vel ex operibus ante fidem: vel ex operibus post fidem. At neutrum. Non ex ante fidem, quia hæc non sunt iusta apud Deum. Non etiam ex post fidem; quia sunt à iam iustificato: ideoque cum sequantur iustificationem, non possunt esse aut materia aut forma iustificationis.

VII. Assumpti priorem partem probauit propria controuersia: cum est demonstratum, infidelium opera nullam posse habere rationem boni apud Deum. Quamquam quid opus est? Cum ipsi aduersarij prolixè iam concedant: Nam etsi boni rationem ægrè ferant ijs denegari; imò ne pariantur quidem nihil conferre ad iustificationem: tamen ex ijs non audent iustificationem constituere: tantum præparationem commenti sunt: quæ haud multum abita merito congruo, quod alias est exhibitum, neque huic pertinet. Etenim, si præparent tantum, certè non ipsam constituunt iustitiam. Denique qui de operibus post fidem periclitantur, eos vis iuuet præcedentibus disputare.

VIII. Assumpti partem alteram sic probamus. Quia, quæ opera sequantur iustificationem, ea non constituunt iustificationem: quomodo folia fructusque arborem non faciunt: quia causa non potest esse posterior suo effectu: Atqui opera fidei sequantur iustificationem. Ergo opera fidei non constituunt iustificationem. Assumptio probatur ex Augustino; in octoginta tribus qq. quæst. septuagesima sexta, *Nam iustificatus per fidem, non potest nisi iustè deinceps operari*. De Spiritu & litera capite vigesimo sexto, *Sic intelligendum est, factores legis iustificabuntur, vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificati fuerint: vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat*. Paulo post, *Si dictum esset, factores legis honorabuntur: non rectè acciperemus nisi honorem illis, qui iam essent factores legis, accedere. Cum vero dictum est, factores legis iustificabuntur, quid aliud dictum est, quam iusti iustificabuntur: factores enim legis vtrique iusti sunt. Ac per hoc tantum dicitur, ac si diceretur, factores legis creabuntur, non quia erant, sed vt sint*. Capite vigesimo nono, *Opus enim, quod qui fecerit, vixit in eo, non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur*. De fide & operibus capite decimo quarto, *Sequuntur enim iustificationem, non præcedunt iustificandum*. In Psalm. 110. *Iustitiam homo non operatur, nisi iustificatus*.

IX. Sed argumentum ipsum totum est à Apostolo, 2. ad Ephesios, *Non ex operibus, ne quis glorietur: nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, qua præparauit Deus, vt in eis versaremur*. Etenim his verbis Paulus, non ad Creationem respexit, qua facti sumus homines, vt Oecumenius existimauit; sed ad gratiam in Christo, vnde sumus, non creatura, sed nouæ creatura. Chrysostomus, *τὸ ἄναρχόν ἐστι τὸ ἀδελφικόν ὁ πῶς κτισίς ἐστὶ ἐξ ἐστὶ ἐκ τῆς μητρὸς ἢ τῆς πατρὸς ἢ τῆς ἀρχῆς, ὡς ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἢ τῆς πατρὸς ἢ τοῦ υἱοῦ ἐγεννηθῆμεν*. Regenerationem innuit. Rõnera alia est creatura. A non esse translati sumus ad esse: quod eramus prius, mortui sumus: hoc est, homo vetus: Quod non eramus antè, facti sumus. Est igitur creatura: & quidem prior melior. Ab illa enim viuere, ab ista vero bene viuere obtrigit Consentane Theodoros & Theophylactus: Ambrosius, Chrysostomus, Primasius, Sedulianus, Anselmus, Thomas. Denique & hodierni Papistæ, Stapletonus, Iulianus. Vt nostros omnes missos faciam.

X. Itaque manifesta res est. Creati sumus: id est, iustificati sumus ad bona opera; vt in ijs ambulemus. Ergo, bona opera consequuntur creationem, siue iustificationem. Porro, & sine operibus iustificamur, quia iustificati sumus ad facienda bona opera: Ergo non iustificamur ex bonis operibus: non enim, vt dixi, prior esset iustificatio ipsis operibus.

XI. Sextum argumentum. Nulla imperfecta iustitia iustificat nos a-

apud Deum: At iustitia nostra inherens est imperfecta: Ergo hæc non iustificat nos apud Deum. Assumptio manifesta, ex propria controuersia, quæ disputauit, nullum esse in hac vita fidelem, non peccatorem. Maior, præterquam quod non negatur ab aduersarijs, per se facilis est. Quia nullus peccator iustificari potest, quatenus peccator est. At omnis homo eatenus peccator est, quatenus imperfecte iustus est: nam imperfectio non potest non esse peccatum: Ergo nullus homo iustificatur ex eo quod est imperfecte iustus.

XII. Bellarminus, capite decimo quarto, responderet, iustitiam inherentem esse, aliam habitalem, aliam actualem. Iustificari hominem non actualem, sed habitalem. Actiualem esse imperfectam: At habitalem ita perfectam, ut absolute, simpliciter, & proprie iusti nominemur. Probat, quia *Dei perfecta sunt opera*, Deuteronomij trigelimossecundo. *Exquisita in omnes voluntates eius*, Psalmi centesimo undecimo. At iustitia habitualis nostra, est opus Dei. Secundo, etiam de iustitia actualem negat assumptum. Hanc enim, etsi aliquo modo imperfectam, propter admixtionem venialium delictorum, ideoque indigentem quotidiana remissione; tamen non propterea non esse veram iustitiam, & suo etiam quodam modo perfectam. Sic enim se probasse libro de iustitia actuali.

XIII. Nos instamus; & *ὅτι ἡμεῖς ἴσοι ἐσμὲν αὐτῷ*, de iustitia actuali, frustra assumptionem reuocari in dubium. Nam & nos in ea controuersia de Sanctificationis imperfectio, refutasse Bellarmini sophismata. Quamquam actualem iustitiam Christiani esse veram, absit, ut negemus. Sed negamus illam veram iustitiam, quæ sit imperfecta, iustificare. Enimvero imperfectio iustitiæ nulla esse potest, nisi vel non fiat quicquid præceptum est; vel fiat quod vetitum. Est autem cuiusque fidelis iustitia imperfecta, non vno aliquo; sed omnibus istis modis. Nam Paulus disertè, *Non facio bonum quod volo: & facio malum quod nolo*. Atqui utrumque peccatum est; & quidem damnans: quare nulla ratione potest dici, hanc utroque modo imperfectam iustificare; quamuis veram.

XIV. Quod nunc atinet ad habitum; nego hunc ita esse perfectum, ut inde homo dici possit simpliciter, & absolute, & proprie iustus. Hoc doceo, primum, quia nemo vnquam sic fuit appellatus iustus: sed quodammodo, & pro captu huius infirmitatis; ut alias docuimus. Secundo, quia, si habitus esset perfecte bonus, ergo nulla essent peccata: quomodo nulla erunt in patria. Tertio, quia habitus non potest esse nisi in interiori affectu mentis: at hunc corruptum esse constat. Paulus ipse se dicebat non tantum facere malum quod nollet; quod fortasse Sophista de solis actibus interpretentur: sed etiam, videre in membris suis aliam legem, per quam seruiat peccato; ad Romanos septimo: vbi & legis vocabulum, & seruire ipsum, non possunt nisi de habitu intelligi. Augustinus de perfectione iustitiæ, ad ratiocinationem 17. *Cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentia, quod vel continentia frenatur: non omnimodo ex tota anima diligitur Deus*. Itaque vehementer aberrat à vero, qui habitalem iustitiam somniat in hac vita esse perfectam.

XV. Enimvero, quod opera Dei dicuntur esse perfecta, distinguendum est. Sunt enim opera Dei immediata; sunt & mediata. Illa, perfecta sunt simpliciter in suo genere, adeo ut nihil emendari in ijs possit. Sed ista non omnia, quia nimirum mouet instrumenta sua Deus, plerumque secundum ipsorum captum. Sic, opus fuit Dei Adamus & Cain. Sed ille creatus perfectus, quia immediatè à Deo: iste vero imperfectus, tum corpore mortalis, tum animo peccator: non quia factus à Deo; sed quia factus per Adamum. Sic, fides est opus Dei; nec perfecta tamen: alioquin vnde preces, *Adauge nobis fidem*, Luc. 18. Caritas Dei opus est in singulis fidelibus: & tamen Augustinus, contra Pelagium & Celestium, lib. 1. c. 11. *Caritas adhuc etiam in tanto Apostolo de die in diem profecto augebatur: quandiu homo eius interior de die in diem renouabatur, perficienda sine dubio, vbi iam non posset inflari*. Denique, ipsa salus nostra opus est Dei; sed nondum perfectum. Quid ergo mirum, si & habitualis nostra iustitia sit opus Dei, & tamen imperfectum?

XVI. Septimum argumentum. Si iustificatio omnis sit inherens; Ergo quidam seruantur non iustificati. Atqui hoc absurdum: Ergo & illud. Assumptum per se patet; quia omnis homo peccator: ideoque damnationi obnoxius. Porro, seruari peccatorem non iustificatum, ne concipi quidem potest. Tum autem scimus, nihil pollutum ingredi in Hierusalem celestem. Est autem pollutus omnis peccator non iustificatus. Vnde necessaria conclusio, neminem iustificatum ingressurum in vitam æternam.

XVII. Consequentia restat. Ea confirmatur infantium exemplo. Eorum enim nonnulli seruantur, siue, ut Papistæ volunt, quicumque baptizati; siue, ut nos, nonnulli etiam non baptizati. At nemo eorum per inherentem iustificationem. Necessaria ergo conclusio, aliquos siue iustificatione inherente seruari: ac proinde non iustificatos: si nulla iustificatio est non inherens.

XVIII. Nisi forte probandum sit, nullam esse in infantibus iustificationem inherentem. Quod facile, etiam non exclusa Spiritus in illis presentia. Nam iustificatio inherens nulla, docentibus Papistis, nisi vel habitualis, vel actualis: nam ita distinguit Bellarminus, capite decimo quinto secundi de Iustificatione. Iam de actuali, non mouent, opinor, quæstionem: cum tota consistat in operibus, ipso teste Bellarmino, qui ibidem, iustitiam actualem interpretans, *id est*, inquit, *opera vere iusta*. Cum ergo nulla opera infantibus sint; nullam esse iisdem necesse est iustitiam actualem.

XIX. Habentne ergo saltem iustitiam habitalem? Atqui hanc concedunt non haberi, nisi per fidem. Infantes autem nullam fidem habere, constanter teneat. Nonne manifesta conclusio est, non habere iustitiam habitalem? Præterea, habitus iustitiæ: est habitus virtutis: At virtutis habitus nullus, absque vsu liberi arbitrii. Nullus ergo iustitiæ habitus, sine liberi arbitrii vsu. Infantes autem carent vsu liberi arbitrii: Ergo neque habere possunt habitum iustitiæ: quomodo iustificationem inherentem? Bellarminus eodem loco recitat ex Augustini trigelimo capite de Spiritu & litera, *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratia contra peccatum; per gratiam sanatio animæ à vitio peccati: per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium iustitia dilectio: per iustitiæ dilectionem legis operatio*. Viden legis operationem postremo loco: præcedente iustitiæ dilectione? Ergo hæc dilectio est habitus ille iustitiæ: quia opera educuntur ex habitu. Atqui hæc

dilectio, ac proinde hic habitus, est à libero arbitrio. Qui ergo non vitatur libero arbitrio, hunc impossibile est diligere iustitiam, habere hunc habitum. Andradius, *Infantes iustificari satis constat, cum nondum sint mentis ac rationis compotes, neque diuinam legem tenere vlla ex parte possint*.

XX. Catechismus Tridentinus in tractatu de Baptismo, eius auctoritate Concilij definit, gratiam, quæ percipitur in Baptismo, esse diuinam: qualitatem in anima inherentem, ac veluti splendorem quandam, & lucem; quæ anularum nostrarum maculas omnes deleat, ipsaque animas pulchiores, & splendidiore reddat. Sed hoc ego commentum, quo magis attendo, hoc minus capio. Et vero sic solent humana somnia inani specie ludificari. Enimvero, quid est ipsa anima? Causa querendi: quia, quicquid in ea sit, concipi non potest, nisi, vel in intellectu factum, vel in voluntate. Non enim puto quandam animæ substantiam imaginari est, separatam ab ijs, quas facultates appellant. Innouari voluntatem eius, quæ libero arbitrio non vitatur, equidem non video, quod possit fieri. Innouari intellectum, quid est? Enimvero, si innouatio sit inherens, hanc oportebit actu inesse: non quidem actualem esse, hoc sensu, ut singulas functiones exequatur: sed actu tamen esse; quomodo saltem proximas illas, quæ dicuntur potentia, siue actus primi; ut musicus dicitur, non ex eo quod canat, quæ functio est; sed ex eo, quod scientiam canendi habeat, non mera potentia, sicut homo qui libet, sed iam hærentem actu. Hoc ego iam in infante fieri, nondum audiui. Sed demus tamen: (neque enim negamus, arcanos dari posse Spiritus sanctificantis in infante motus.) Atqui hæc proprie iustitia non est, quandoquidem iustitia non potest defini, ex solo intellectu: quia oportet accedere amorem, id est, voluntatem: cuius vis nondum vlla est in infante. Itaque hæc lux, hic splendor, quicquid sit tandem, non erit tamen iustitia inherens. Illi vidento.

XXI. Illud verum, separari necessario apud eos, iustificandorum infancium rationem, ab ea quæ est aduorum. Nam Soto de illa agit capite decimo; de hac, undecimo libri secundi de Natura & Gratia. Bunderius, articulo sexto tituli tertij, *Propositio prima. Prior iustificatio, qua quis ex imago fit iustus, in infantibus sacro Baptismate purgatur, sit virtute Sacramenti, siue quocumque eorum præuio merito: ipsi etiam quantum valent renitentibus. Tertia propositio. Adultus, etsi non mereatur suam iustificationem, non tamen sit iustus sine suo libero arbitrio cooperante diuina gratia mouenti. Delphinus, A paruulis non requiritur vllus consensus, vllaque dispositio ad iustificationem: quandoquidem vsu rationis, & liberi arbitrii carent: sed Baptismo tantum regenerantur, Deoque reconciliantur, & iustificantur: neque ab eis petitur, ut, postquam iustificati sunt, iustificentur amplius ante vsu rationis: neque ut bona & meritoria opera faciant: non ut legem impleant, eique satisfaciant: non denique, ut in melius proficiant*. Ergo, inquam, vel iustificatio infantium non est inherens: vel alia atque alia est prima iustificatio inherens, tota definitione disparata: quod profecto Scriptura non docuit: sed coacti sunt communisci, qui nullam, nisi inherentem iustitiam agnoscere induxerunt in animum, ne ipsa rei absurditate conuicti tenerentur. At nos longe simplicius: qui neque communiscimus quicquam; neque multiplicamus iustificationum genera, neque absurdi quicquam admittimus: qui tenemus similiter, & eodem iustificationis genere iustificari tam infantes, quam adultos, nempe, per imputationem. Vnde Bernardus, sermone quinquagesimo octauo, in Canticum, *Infantium renatorum neminem careere meritis, sed Christi habere merita*. Sic Papistæ infinitis misuerunt quæstionibus, ut verbis vtar ex Ecclesiasticis septimo: siue, ut Calvinus vertebat, *quæserunt sibi adinventiones multas*. Et tamen Tapperus, *Iustificationem nos dicimus vnicam & simplicem esse, mutationem ab iniustitia ad iustitiam*. Adde illud Soti, ex capite vigesimo secundi de Natura & Gratia, reprehendentis Lutheranos, quod negent nos iustificari, per hoc, quod à Deo moueamur motu liberi arbitrii in se. Quid fiet? Nempe, quod dicebamus, infantes non iustificari: quod est absurdum.

XXII. Octauum argumentum. Si iustificatio esset inherens, ergo qui nihil sibi conscius esset fidelis, per hoc esset iustificatus. At hoc falsum: Ergo & illud. Assumptum patet ex Paulo; prioris ad Corinthios quarto, *Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc iustificatus sum*. Consequentia patet: quia ipsum sibi nihil conscire, est iustitia humana inherens, maxime in fidei; maxime in Paulo: neque enim iste aut sibi indulgebat, aut alucinabatur in discernenda iustitia. Itaque non dubito, verè eum dixisse; atque ita significasse progressum suum in actuali iustitia: qua ille debuit procul dubio iustificari; si quisquam hominum potest. Sed, quomodo veracissimum testem agnosco suæ iustitiæ inherens: sic & suæ iustificationis authenticum. Quare, cum pronuntiauit, se non iustificatum per id, quod nullius sibi peccati esset conscius: omnino statuo, neminem vnquam ex eo iustificatum esse, quod inherentem habuerit iustitiam, quantumcumque demum habuerit.

XXIII. Neque est, quod eos metuam, qui iustificari intelligebant apud homines: quali diceret Paulus, se scire, non propterea futurum, ut se Corinthij iustum existimarent: siue abfoluerent. Nam, *Hæc mihi sententia*, inquit Iustinianus, *nullo modo ferenda videtur. Agit enim in presentia Apostolus de fidei ministro, ac dispensatore, de que eius integritate, qua se Deo probaturus est: vnaque ostendit hominum iudicio, atque opinione, non esse de cuiusquam merito ac sanctitate iudicandum, cum hoc iudicium vni Deo referretur, de quo mox subdit, qui autem iudicat me Dominus est: quod si de illa iustitia loqueretur, de qua possunt homines sententiam ferre, qua tota pendet ab externis actionibus, qua sensibus obiciuntur, non eius profecto iudicium vni Deo permitteret*.

XXIV. Intelligo, sic illud, *nihil conscius sum*, exponi, quod non fuerit certus se non peccasse, quia, *αὐτὸν ἑαυτὸν ἠσφαλιστὸν ἦν ἀπὸ τῆς ἀσεβείας, καὶ ἰδίᾳ αὐτὸν ἐδέοντο τὸν αἰσθητὸν*, inquit Chrysostomus, id est, *contigisset eum nonnulla peccare, qua peccata esse nesciret*. Verum, nec id quidem mouet me: non enim infirmat consequentiam. Tum autem, nos certum esse dicimus, nemini tantam esse iustitiæ inherens perfectionem, ut non maneat peccator: hancque esse causam, cur ea iustitia nemo iustificetur. Præterea, hæc quæcumque erant peccata, pertinebant ad iustitiam actualem,

in illo Veteri interprete? Et quidem exprimente ipsum illud λογίζεσθαι, Ei qui operatur, merces & λογίζεσθαι, non imputatur, secundum gratiam, sed secundum uebitum. Beatus uir cui, & με λογίζεσθαι, non imputabit Dominus peccatum, Post ad Timoth. 4. με αυτοις λογίζεσθαι, ne illis imputetur.

VI. Hæc exempla non potuit ignorare Sanderus. Sed obseruat, nunquam, nisi negatione præposita. Quod si, inquit, reputare in bonam partem accipitur, imputare uero non nisi de illo dicitur, quod graue aut molestum est: cum iustitia sit res optima, longe præclarior reputari nobis dicitur, quam imputari.

VII. Magnum uero acumen: & diguum, cui constando torum excoerit se Papisticum ingenium. Non nisi præposita negatione, inquit. Nimirum, inquam, quia Græcè illa existat: itaque non potuit aliter. Verum si λογίζεσθαι significat, non imputatur, & constat esse, non: Ergo λογίζεσθαι significat imputare absque negatione. Et uero quid illud est, Non imputatur secundum debitum, sed secundum gratiam? Nonne idem ac si diserte legeres: Non imputabitur secundum debitum, sed imputabitur secundum gratiam. Itaque, secundo loco habes imputare, nulla præeunte negatione. Sed Leuitici uigesimo quinto. Et reddet emptori, quod reliquum est annorum, quibus ante seruiuit mercilibus imputatis. Estne hic negatio? Itaque brutum est, imputare, non nisi de eo dici, quod prae sit ac molestum. Nec uero Caietano ita uisum, qui ad hunc Apostoli locum, Apparet, inquit, quod fides Abrahæ reputata est illi ad iustitiam apud Deum: ita, quod iustitia apud Deum non ex operibus, sed ex fide imputata est Abrahæ. Non Boderiano, qui in Syro interprete Latinè exprimitendo; Et imputatum est ei ad iustitiam: ut prior Tremellius. Quid plura? Iesuitam oppono Salmeronem, tractatu trigesimo in Epistolam ad Romanos. Voces Latinas obserua, reputare, siue imputare, & accepto ferre, & ut alij uerunt, deputare, cum soli Græcè uocari responderent, nempe λογίζεσθαι, quæ in bonam partem, & in malam accipi consueuit. Et imputare, non tantum in malum accipitur, ut solet. Et paulo post, Quod quidem ob id annotamus, quod in interdum etiam in bonum accipitur, ut quoties ait Apostolus, fidem Abrahæ imputatam ad iustitiam. Ita Erasmus, & interpres noster uertit. Idem etiam possumus, auctoritate Seneca, comprobare, qui in consolatione ad Martiam, Optime, inquit, de posteris meruisti, ad quos perueniet incorrupta rerum fides magno auctori suo imputata. Senecæ nos addimus Tertullianum aduersus Gentes capite tertio, Ita nomen emendationi imputatur. Othonem Imperatorem ex Taciti primo historiarum, Hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet.

VIII. De uerbo simplici & composito, ineptum cauillum, & neglectum ipse illi Veteri Interpreti: qui & reputari uertit, & imputari: quæ certe forma est composita. Neglectum & Salmeroni, ut uidimus. Tum autem λογίζεσθαι non absolute dictum, sed addito dandi casu, λογίζεσθαι τι, vim habet compositi, & λογίζεσθαι, quod sciunt, quicumque Græcè non sciunt nihil. Vnde apud Varinum leges, in λογίζεσθαι: τίς τῶν ἀνθρώπων ἀποστήσει ὁ Θεὸς τοῖς περὶ αὐτοῦ λογίζεσθαι, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ λογίζεσθαι ἢ ἀναπνεύσει. Quanquam enim alia compositio est in λογίζεσθαι, quam in λογίζεσθαι, tamen significatio eodem redit. Quare, temere dictum, signanter esse à Paulo discreta uocabula: nam, etsi uariati sonum, tamen sensum eundem retinuit.

IX. Nec iuuat uox Hebræa. Etsi enim uerum sit, שׂוּן, primo esse putare, cogitare; tamen certum etiam sumi pro: λογίζεσθαι & λογίζεσθαι. Exempla Leuitici decimo septimo, אֵימָה לֹא יִשְׁפָּט אֱלֹהִים אֶת הַצַּדִּיקִים לְדֹרֹתָם, Latine uertit, Sanguinis reus. Sed Pagninus, Sanguis imputabitur uero illi. Numerorum decimo octauo, כֹּכַב שׂוּן, ἢ λογίζεσθαι, & reprobabitur uobis. Posterioris Samuelis decimo nono, וְיָנִי אֲנִי לֹא שׂוּן לְךָ, sed ἢ λογίζεσθαι ἢ κῆρὸς καὶ ἀδικία, Ne reprobet mihi, Domine mi, iniquitatem. Pagninus, ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem. Cur non ergo Geneleos decimo quinto, & reputatum dicamus, & imputatum? Aut, cur non dubitari debeat ipsum credere, esse ipsum iustitiam? Imo, si fuisset ipsa iustitia, cur oportuit, aut imputari, aut reputari: aut denique putari esse Abrahamo iustitiam? Quanquam hæc quidem in Paulo uis est. Nam, si Hebræicè aliud est, iustitiam putari, quam putari ad iustitiam; quo iure, quo prætextu Paulus excusabitur, qui uertit, non λογίζεσθαι δικαιοσύνην, ad Sanderi palatum; sed λογίζεσθαι τὴν δικαιοσύνην.

X. Sed habuit profecto animum in patinis Sanderus, qui illud λογίζεσθαι, huc comportauit. Est idem uerbum, fateor: sed non eadem phrasis. Potuitne autem existimare. Sanderus, nihil differre, λογίζεσθαι, & λογίζεσθαι τι. Nemo negat λογίζεσθαι interdum id significare, quod alias dicimus, ratiocinari, rationibus examinatis concludere, siue colligere. Et eo loco ita explicant, Salmero, Iustinianus, Erasmus. Sed hoc sensu nego unquam constri cum datiuo personæ. Atque adeo Syrus interpres uertit, יְנַחֵם, longe aliter quam in Abrahamo, תְּשׂוּן. Quare, etsi non bene dixeris, Imputamus igitur fide iustificari: tamen recte; Reputatum, siue, Imputatum est illi. Nam, ubi tam latum est discrimen, non esset idem iudicium sanum.

XI. Esto ergo sane, aliud putare, aliud imputare: dum constat tamen sæpe idem esse λογίζεσθαι & imputare. Nam si ita est, ergo non semper idem erit λογίζεσθαι, & putare: quod nobis nunc quidem satis est: ut frustra sint sophistæ Sanderi sua sophismata.

XII. Bellarminus fidem ipsam dicit imputari ad iustitiam: at non esse iustitiam Christi, id est, qua Christus sit iustus; sed iustitiam nostram, qua sumus iusti ex dono Dei. Rursus, uerbo imputandi, hoc loco non significari nudam existimationem, sed existimationem cui ueritas in re ipsa respondeat. Id probat ex ijs uerbis, Ei qui operatur, merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Certum enim est, ei qui operatur, non sola opinione & existimatione, sed uere, ac re ipsa deberi mercedem.

XIII. Sed in re tanta Bellarminus agit admodum perfunctorie; cum in rebus longe leuioribus longe se præbeat accuratorem. De fide ipsa disputabit diligentius proxima controuersia. Verum, nunc nullam nobis argumentum ab ipso nomine, siue etiam natura fidei. Imo inde, quod imputari iustitia absque operibus, siue non operanti, nequeat, ut sit inherens iustitia, & non potius aliena, extrinseca; denique imputata. Nam omnis inherens iustitia est in operibus: quia, ut alias diximus, omnino habitus est uirtutis: nullus autem habitus, nisi operans: maxime in adulto, cuiusmodi Abrahamus erat: & uere Abrahamus operabatur: & pridem operatus erat; sed non erat operatus: non operabatur, quomodo operandum est, ut quis iustificetur apud

Deum. Itaque dicitur non operans: quia, etsi operibus abundat bonis; tamen hæc opera nullius momenti aut erant, aut esse poterant, ut ille reconciliaretur Deo.

XIV. In secundo, quid illud est, nudam existimationem, & existimationem, cui ueritas in re ipsa respondeat? Nam, nos quidem absit, ut, in hæc re tanta, mendacij quicquam cogitemus. Sed alia ueritas est imputationis, alia infusionis: neque illa censenda ex ista; aut contra: Esto ergo imputare, non simpliciter existimare; ut cum fallitur intellectus, & uidetur hypocrita bonus, qui tamen malus est: esto potius coniunctum cum rei ueritate, sed sua: nimirum, ut cuique Christiano uere & realiter imputetur Christi iustitia. Hanc nos ueritatem imputationis absit ut oppugnemus. Sed si sic Bellarminus intelligat, ut imputare, sit in ipsum hominem infundere iustitiam inherens, abutitur auctoritate Iesuitica, & nouas loquendi leges condit.

XV. Etenim imputare duobus tantum modis usurpatur; uel, ut significet quod in quoque est uere, eiusdem esse agnoscere, uel ei tribuere; quod tamen non est eius. Priori modo dicuntur, Imputari peccata: & Iobi quadragesimo secundo, Imputari stultitia. Altero, Paulus ad Philemonem, Si quid laeserit, imputa mihi. Neutro autem modo infusio significari potest. Non priori modo; quia peccata non infunduntur: & quomodo infundi dicantur, quæ iam infunt? Non altero, quia quicquid infunditur, inheret: at Paulo certe non inhererant peccata Onesimi. Quid plura? Christo uere imputata fuere peccata nostra: uere enim penas luit: non tamen infusa. Itaque, etsi hic imputatio fuerit, non nuda existimatio, sed coniuncta cum ueritate in ipso Christo, tamen hæc ueritas non significauit ueritatem inherens, sed ueritatem, imputationis. Et in hoc nostro argumento imputationis ueritatem esse secundi ordinis, patet; quia fieri dicitur absque operibus fieri non operanti.

XVI. Salmero, disputatione septima ad Galat. propinquius accessit ad imputationis ueram definitionem; & certam illam refutat ueritatem Bellarmini in re ipsa, si ea dicta sunt pro inherens, Imputare, inquit, siue uerbum Græcum, λογίζεσθαι (& hoc notetur aduersus Sanderi grammaticationem) nihil aliud est, quam gratia, aut ob aliquam insitam causam, id in quo res, uel persona deficit, perinde habere, atque estimare, siue ad mercedem, siue ad uindictam, ac si aliud, quod reuera non adsuit, uere adfuisse, seruata aliqua proportionis lege, ut id nunquam alicui uel adscribatur, uel imputetur, uel ad præmium consequendum, uel ad pœnam subeundam, quod adesse nec debuit, nec potuit. Quam uerbi significationem expressit Pauli interpres alia uoce simili, etsi Græca semper sit eadem. At enim ad Romanos, Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Est enim acceptum ferre apud Iuriconsultos, id habere pro persoluto, quod reuera non est persolutum. Illustrat exemplis aliquot. Sed uides manifestè explosam inherens, siue illam Bellarmini ueritatem in re ipsa: Nam si id quod imputatur, re uera adsuit: quomodo potuit dici inherere?

XVII. Est tamen hæc Salmeronis descriptio non legitima. Nam, primo non uniuersalis: quia non tantum ea dicuntur imputari, quæ non adfuerunt; sed etiam quæ re uera adfuerunt. Alioquin, quomodo dicemus cuiquam imputari sua peccata? Et puto, cum dixit Dominus, illo Iobi loco, Ne imputetur uobis stultitia: non abfuerat ab ijs amicis Iobi hæc stultitia. Deinde, non imputari, id quod adesse nec debuit, nec potuit; non uideo quid dictum sit iudiciose. Nam certe peccata nostra dicuntur imputata Christo, cui tamen adesse nec debuerunt, nec potuerunt. Et postulat Paulus, sibi imputari peccata Onesimi, quæ tamen Paulo inesse nec debuerunt, nec potuerunt: tum quia nunquam seruus fuerit Philemonis: tum quia unius cuiusquam actiones, alterius esse non possunt, ac proinde nec uere dici.

XVIII. Hi tamen defectus alios habeant sollicitos, quorum intererit. Nam nobis quidem susque deque erunt. Hoc grauius, Nullibi Apostolus dixit, inquit, ad Christi iustitiam fidem Abrahæ imputari: nec imputatio, qua sit per fidem, uel propter fidem, unquam dicitur fieri ad Christi iustitiam.

XIX. Sed Salmero magnus est nugator: certe aduersum nos nihil agit: Nam, quid illud est, Imputari ad Christi iustitiam? Quis unquam sic locutus? Nam nos quidem potius dicimus, imputari ad nostram iustitiam, id est, ut sit nostra iustitia: ut, inquam, Christi iustitia, quæ proprie & per se, non est nostra; nec potest esse nostra, fiat per gratiam nostram; adeo ut propter eam, & si ferre possunt aduersarij, per eam dicamur, & sumus apud Deum iusti. Exagitet ergo monstrum phrasæos quantum uolet Salmero, uerum disceat, non suis, sed nostris uerbis in sententia nostra exprimentem.

CAP. XIV.

De iustificationis nomine & descriptione.

I. Alterum nobis argumentum à iustificationis, tum nomine, tum descriptione ex Paulo. Omnis iustificatio impij, est per imputatam iustitiam. At iustificatio Christiani est iustificatio impij: Ergo iustificatio Christiani est per imputatam iustitiam. Minor patet ex Paulo ad Romanos quarto, Ei uero qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia. Vbi diserte habes, iustificare impium: quæ phrasit inde facta solennis apud Patres: imo & apud nostros Papistas: ut uerbis saltem uideantur non recedere à Paulo; ut & alias sæpe.

II. Est autem eius phrasæos uis discretiua: quia nimirum non omnis iustificatio, sit impij iustificatio: sed quædam etiam iusti. Deuteronomij uicesimo quinto, Iustificabitis iustum, & maleficabitis (date ueniam aures Latinæ) malum. Primi Regum octauo, Iustificansque iustum. Psalmo octogesimo secundo, Egenum & inopem iustificata: Matthæi uidecimo, Iustificata est sapientia à filiis suis. Psalmo quinquagesimo primo, Ut iustificor in sermonibus tuis. Ut ne ergo quisquam fallatur, in hoc tanti momenti argumento; admonemur non agi de iustificatione iusti, siue pij: sed de alia, nimirum iustificatione impij.

III. Superest minor. Ei demonstranda probationes sunt. Prima, ab ipsa vocabuli virtute, quod sumptum est ab vsu forensi, & significat eum qui accusabatur apud iudicem, puniendus aliqua pœna, iustum pronuntians & absoluit a pœna. Itaque opponitur condemnationi. Id autem sit, vel ex præscripto legis, vel contra. Iustificatio ex præscripto legis est ex cognitione iustitiæ præcedentis, & appellatur iustificatio iusti. Contra præscriptum legis, eum is qui vere nocens erat, tamen non damnatur, sed absoluitur, quod sit, vel per gratiam, vel per *περὶ τὴν πλὴν*. Per gratiam, cum qui summus est iudex, recedens a rigore iuris non pronuntiat ex cognitione causæ, sed tantum ex propria voluntatis motu. Per *περὶ τὴν πλὴν*, cum qui iudex est subalternus, ideoque obnoxius legi, propter causas alienas, quæque sunt extra causam, reum absoluit. Ex his tribus iustificandi modis solus primus iustitiam inhærentem supponit: at secundus & tertius, non inhærentem, sed imputatam, nimirum, quia si inhærentem, tum esset iustificatio primi ordinis. At nobis controversia est, non de primo ordine: nam iustificatio impij est, non de tertio, quia apud Deum nulla est *περὶ τὴν πλὴν*: Ergo de secundo, qui est per gratiam.

IV. Respondet Bellarminus; Primo, id verbi accipi quidem sæpe pro declaratione iustitiæ: at non semper. Hic autem, pro, iustum facere, siue constituere. Hoc probat, primo, quia Paulus, dicat, *Per gratiam iustitiam in omnes homines in iustificationem*. Et post, *Per obedientiam unius hominis iusti constituentur multi*. Deinde, quia ad Roman. octavo, utatur vocibus, iustificandi, magnificandi, viuificandi, mortificandi, conglorificandi, quæ sunt omnino similia verba. At nemo negat, magnificare, viuificare, mortificare, conglorificare, esse magnum, viuum, mortuum, conglorificatum facere: Ergo & iustificare, est iustum facere.

V. Secundo, etsi concederetur, iustificare esse iustum pronuntiare, tamen obicit, non posse impij vere iustificari, id est, iustum pronuntiarum, nisi qui pronuntiat iustum, simul faciat iustum. Causam addit, quia hinc fiat, ut solus Deus iustificet impij, quia scilicet solus possit de impij facere pios. At homines qui iustificat impij, non minus sunt abominabiles, quam si condemnent iustos: Prouerb. 17.

VI. At nos instamus, sumi pro declaratione iustitiæ, ex vsu forensi. Manifestissimus enim locus est, quem, cap. primo citatum, nunc etiam expendemus: ad Roman. 8. *Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus is est qui iustificat. Quis est, qui condemnet? CHRISTVS is est, qui mortuus est, imo vero qui etiam excruciatu est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis*.

VII. Hic habes primum disertam effigiem tribunalis, atque inde, reum, accusatorem, aduocatam, iudicem. Itaque Chrysostronus, *ὁ δὲ θεὸς ὁ δίκαιος ὁ δὲ ἀδίκους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους*. Quis iudicis, *ὁ δὲ θεὸς ὁ δὲ δίκαιος ὁ δὲ ἀδίκους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους*. Occurrit, *ὁ δὲ θεὸς ὁ δὲ δίκαιος ὁ δὲ ἀδίκους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους*. Deum suo quompiam calculo iustificat, quis erit, qui condemnet? Diserte audis, *ὁ δὲ θεὸς ὁ δὲ δίκαιος ὁ δὲ ἀδίκους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους*, aliud efficacia iustificare.

VIII. Deinde, opponi audis, iustificationem condemnationi. Quæ, si opposita legitima est, & iustificatio, sit infusio iustitiæ, tum condemnationem oportebit esse infusionem iniustitiæ. At hoc est absurdum. Nam condemnatio distinguitur etiam in condemnationem iniusti, & iusti. Neutro autem modo infusionis quicquam habet. Quia condemnatio iniusti, sit propter iam inhærentem iniustitiã, itaque non infusam, condemnatio autem iusti, sit contra inhærentem iustitiã. Itaque neutro modo, atque adeo nunquam condemnatio infusionem significat.

IX. Hic Bellarminus obicit, etsi iustificatio semper opponatur condemnationi, tamen non ideo semper esse forensis vocabulum. Rationem addit, quia ipsa condemnatio interdum sit actus iudicis deputantis ad pœnam, eum qui iniudicio reus inuenitur sit, interdum vero effectus culpæ, quæ pœnam commertur. Siquidem & Adam nos condemnasset, & Deus. Sed Adam imprimendo culpam originalem; Deus iudicando. Similiter iustificationem, nunc esse actum iudicis, nunc effectum gratiæ: Christum primo iustificare, delendo peccata, & gratiam infundendo: denique, iustificatum in die iudicij, declarando iustos, quos antea fecerit.

X. Nos contra, si semper iustificatio opponitur condemnationi, ergo semper esse forensis vocabulum, quia nimirum condemnatio semper est forensis. Nec contra Bellarminum probare. Nam concedo quidem, condemnationem interdum dici effectum culpæ, quod ille ponit, sed tum non esse forensis vocabulum, nunquam probaturus est. Enimvero, non per se & immediate condemnatio est a culpa, sed per legis denuntiationem, deinde iudicis sententiam, quæ utraq; est ex vsu forensi.

XI. Porro, quæro exemplum, quo dictum sit ab aliquo autore classico, Adamum damnasse nos: nam Bellarmini, imo omnium Jesuitarum figmenta, cur habeamus pro *ἀντοπισμῶς*? Nos Apostolum audimus longe libentius, *τὸ κέρμα ἐστὶν ἡμῶν ὡς ἡμεῖς ἠμαρτήσαμεν*: & *δι' ἡμῶν ὡς ἠμαρτήσαμεν ὡς ἡμεῖς ἠμαρτήσαμεν*: & nos possumus, ex Adamo venisse damnationem nostram, sed Adamum damnasse, siue condemnasse nos, nemo, quod sciam, dixit, si dixit, magna vsus est *καταχρησῆς*. Et tamen hoc ipsum, quid prodest Bellarmino, qui statim discedit a comparatione? Condemnatione ab Adamo esse, & a Deo ponit: at iustificationem a iudice, & gratia. Esto sane analogia inter Deum & iudicem: at inter Adamum & gratiam, quomodo? Quamquam iustificationem pro actu iudicis nimis ille quidem maligne considerat, quæ ex vsu forensi etiam patet latius, ut ante monuimus.

XII. Denique, in verbis Pauli obseruanda est ratio iustificandi. Nam & accusationi opponit iustificationem, *Quis, inquit, accusabit iniquitatem Dei est qui iustificat*. Sed etiam, condemnationi, Christum passum & interpellantem. *Quis est qui condemnet? CHRISTVS is est qui mortuus est, qui interpellat*. Manifeste innuens causam, cur non simus condemnandi, esse Christi mortem, neque hanc tantum, sed etiam intercessionem. Atqui hæc utraque ad imputationem facit, nihil ad infusionem. Quia & mors significat datas pœnas pro nobis, quod sine imputatione consistere nullo modo potest, & intercessio designat gratiam illam, qua Christus potens est apud Patrem, ut

eum iudicem nostrum moueat, ne condemnet. Atqui, hæc gratia non est inhærens nobis, sed ipsi Christo.

XIII. Quid iustificari desumptum ex medio foro, nonne & hinc plene conuincimus, quod neget Apostolus, quæquã iustificandum ex lege, siue ex operibus, quia omnes peccauerunt? Imo, nihil potest ad hanc rem plenius dicit. Nam, si iustificare esset iustitiam infundere, tum vero non bene concluderetur: neminem iustificatum iri ex operibus, quia omnes peccauerunt. Nam contra, quia omnes peccauerunt, oporteret, infundi nouam iustitiam. Si enim non peccassent, non posset infundi iustitia, quia iam inhereret, quomodo autem infundatur, quod inhæret. Et, si non infunderetur, non iustificaretur. Itaque, si iustificare significaret infundere iustitiam, omnino contra debuit Paulus dicere, iustificabuntur ex lege, quia peccauerunt. Denique, res ipsa per se patet. Nam, qui peccauit, non aliter intelligitur, non iustificari, quam apud iudicem. Itaque phrasin esse forensis necesse est.

XIV. Ad opposita Bellarmini argumenta facilis responsio. Ad primum, fatetur esse idem, iustificare, & iustum constituere apud Paulum. Sed, iustum constituere, nos ante negauimus id significare, quod vult Bellarminus, nempe, infundere iustitiam inhærentem, sed ex vsu forensi constitui iustum etiam eum, qui ab impio iudice per *περὶ τὴν πλὴν* manifestam iustificatur, quamuis in se non sit iustus.

XV. Ad secundum, negamus similia esse, viuificare, magnificare, mortificare, conglorificare, verbo iustificandi. Compositionem certe grammaticam non possum negare similem. Sed quid ad me? quantum vis urgeat Bellarminus? Nam hæc similitudo tantum est Latine. At Paulus & Græce loquutus, dixit *δικαιοῦναι*, & ab Hebræo sumpsit, *קדשׁוּתוֹ*. At, tum Græce, tum Hebræice, nulla est compositio similis, id est, ex verbo facere, quod isti Sophistæ vtgent, neque adeo significatio efficiendi quicquam inhærens, quum, aut vsus forensis designatur, aut inde metaphora transfertur.

XVI. Nam, quod Bellarminus asserit, Hebræis *קדשׁוּתוֹ* proprie nihil esse aliud, nisi iustum facere, iudicium esse, & ineptum, etiam verum. Solent enim eius conjugationis verba omnia sic Latine circumferri, ut efficiant aliquid in alio. Sed efficientiam inhærentem, non magis significant, quam imputatam. Vix exemplum? Eius analogie est *אמין*: itaque proprie (vt cum Bellarmino loquar) significat verum, vel veracem facere. An inhærenter? Nunquam, quia significat credere: Creditur autem tum veraci, tum fallaci. Illud Genes. 15. *Et credidit Abraham Deo, וַיֵּאמֵן אַבְרָהָם בַּיהוָה, Et veracem fecit Deum*, an, quia Deo infudit veritatem? Prouerb. 14. *פְּתִי יֵאמֵן לְכָל דְבָר, Simplex credit omni verbo*, nempe æque vero ac falso: hicine verò utriusque veritatem infundit? Inde, postea ad Thessal. 2, quod Paulus scripsit, ut credant mendacio, *ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐστὶν ἀληθινόν*: Syrus vertit *דְּבַר הַמִּשְׁכָּח לְכָל דְּבָר*: murum, si mendacis Antichristi instillarum sint homines inhærentem veritatis qualitatem.

XVII. Imo, audester dicam, non posse proferti vllum locum ex tota Scriptura, ubi id verbi significet efficere iustum, quo sensu id vult dicit Bellarminus. Nisi forte excipias illud Danielis duodecimo. *Qui iustificat multos*. Etsi hoc ipsum controuerti queat. Cur non enim iustificare, vt prioris ad Timoth. 4. *ὁ θεὸς ἡμῶν σωσὴς ἐστὶν πάντων, καὶ τῶν ἀγαθῶν τῶν κατὰ τὸν νόμον, ὅσοι ἐπιμένουσιν, καὶ τῶν κατὰ τὸν νόμον, ὅσοι ἐπιμένουσιν*, & eos, qui te maluerunt, non quod ipse seruaret, sed quod ministraret economiæ salutis. Ita & illi, quod inferrent alijs vocandis ad fidem, per quam est iustificatio. Et tamen, vt demus non intelligi de hac Iustificatione, quis non miretur eam esse veram & propriam significationem, quæ vniço duntaxat loco occurrit, eam vero non propriam, quæ alijs infinitis? quæ alias semper.

XVIII. Græce *δικαιοῦναι*, Varino teste, *ἀποδοῦναι τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ τὸ δικαιοῦναι τοὺς ἀδίκους, duo significant, ἢ punire, ἢ iustum censere*. Quamquam in Scripturis, nunquam punire, sed vt plurimum respondet illi Hebræo, quod diximus. Eo igitur sensu intelligendum, & si alias non nihil variet: at certe non in hoc argumento.

XIX. Atque hæcenus Bellarmini prior solutio. In altera, non potest, inquit, iustificari quisquam, nisi, qui eum pronuntiat iustum, etiam faciat, scilicet inhærenter.

XX. At hoc primo falsum est, deinde inutile. Falsum, quia infantes iustificantur, nec tamen sunt inhærenter sancti, vt ante monuimus. Inutile, quia non sequitur tamen eo iustificari, quo fieri sanctum, sed tantum vtrumque fieri, quod & nos dicimus, qui neminem scimus iustificari, qui non etiam fiat inhærenter sanctus, id est paulatim sanctificetur, inuouatus per Spiritum sanctum. Similiter, etsi verum, a solo Deo posse de impij fieri pios, tamen nego hanc esse causam, quod solus Deus possit iustificare. Vera enim causa est, quia sit summus Iudex, penes quem arbitrium sit, & puniendorum & remittendorum peccatorum. Disce a regibus, qui in humana iurisdictione summi sunt, nemo est omnium regum, qui possit furem facere virum iustum, & tamen soli sunt reges, qui possunt furem iustificare.

C A P. XV.

Verum remissio peccatorum sit iustificatio.

I. Tertium argumentum. Omnis remissio peccatorum est imputatiua. At iustificatio est remissio peccatorum: Ergo iustificatio est imputatiua.

II. Minor probatur ex Paulo, qui ad Roman. 4. pro eodem vsurpat & iustificationem, & peccati remissionem, siue non imputationem. *Sicut etiam David, ὁ δὲ θεὸς ὁ δὲ δίκαιος ὁ δὲ ἀδίκους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους, ὁ δὲ ἀδίκους ὁ δὲ δίκαιους*, dicit beatitudinem hominis, siue, vt vertit Beza, *declarat beatum eum hominem*: Syrus, dicit de illius beatitudine hominis, cui Deus imputat iustitiam absque operibus. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, ἢ quorum obiecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum*. Manifesta res est. Nam, nisi est idem imputatio iustitiæ, & remissio peccati, absurda, imo nulla est Pauli probatio, illam concludentis ex ista. Adde, ex postea ad Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum*.

III. Nec maior potest esse, aut incertior, aut obscurior. Nam phrasin est in promptu, peccata non imputari. Non isto solum loco, desumpto ex Psalmo trigesimo secundo, *Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum*. Sed etiam

etiam ad Roman. s. Peccatum non imputatur, cum nulla est lex. Poster. ad Timoth. 4. In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt, & illis imputetur.

IV. Imo & aliis locis Latinus Interpres hoc verbum vsurpauit, liberius suo more recedens a vocibus Hebraeis. Ezechielis trigesimo tertio; Omnia peccata eius, quae peccauit, non imputabuntur ei. Hebraice, Non commemorabuntur ei, interprete Pagnino. Remotius Job quadragesimo secundo, Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur. Hebraice, לנדת עשותי עמך, לנדת, Ad non faciendum vobiscum abiectionem. Munsterus, ut non faciam vobiscum stultitiam. Tigurini, Vos non trahabo pro flagitijs vestri magnitudine. Junius, Ut non afficiam vos poena flagitij. Septuaginta, ei μη ασεσωποι αυτου λησομου, ei μη ρδ δι αυτου επιλησουμεν, Quoniam si non faciem eius accipiam, si non enim propter eum, perdidissem vtiq; vobis. Nimis isti quidem pueriliter balbutientes.

V. Verum hoc loco Latinus Interpres (etsi barbare) dixit, accepto ferre, magna emphasi, testibus, Dominico à Soto, Salmerone, Justiniano: Verum est, inquit iste, ab humana consuetudine ductum. Dicitur enim, creditor acceptam referre pecuniam debitori, cum eam fatetur habere pro soluta, qua aëtio à Iuris peritis acceptilatio dicitur, qua est imaginaria solutio, qua fit sine rei interuentu, quaque solutioni comparatur. Quae ratio loquutionis gratuita iustificationi mirifice congruit. Nam, quemadmodum si creditor pecuniam acceptam referat debitori, hic obligatione soluitur, ita is cui Deus acceptam refert iustitiam, liber est à reatu supplicij sempiterni. Salmeto, Acceptum ferre, est debitum remittere, & habere pro soluto, quod solutum non est. Hinc vox est Iuris peritorum, acceptilatio, qua interrogatio, & responsio fit, ut debitor qui non est soluendo, dicat creditori, Id omne quod tibi debebam, habesne acceptum? Quo respondente, Habeo, acceptumque fero, tunc debitor à debito absolvitur, & habetur pro solutore, etiamsi nulla interueniat solutio, & ita acceptilatio opponitur iustae solutioni. Soto, Pulcherrima ergo hic, commo distissimaque oratione explicat Paulus, tum id quod dixerat, reputatur fides ad iustitiam, tum clarissime rationem nostrae iustificationis, tum enim nos soluendo non sumus Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, id est, pro accepto ducit, si modo illi fidem pollicenti adhibeamus. Hæc illi. Quæ, si non recantantur, nostram plane pleneq; sententiam concludunt.

VI. Sed pugnant tamen, & quidem acriter, aduersus tum minorem, tum maiorem. Nam, primum, ferre non possunt, iustificationem & remissionem peccatorum sumi pro eodem. Bellarminus capite nono, negat, quarto ad Romanos, poni integram definitionem iustificationis, aut beatitudinis, sed explicari solum aliquid, quod pertineat ad iustificationem, vel beatitudinem acquirendam. Deinde, posse tamen definitionem integram esse, sed implicite, quia remissio non possit fieri, nisi infundatur iustitia, quomodo non fugantur tenebræ, nisi lumen succedat. Ideo Apostolum ex non imputatione peccatorum, colligere imputationem iustitiæ, & inde docere, non posse ita separari, remissionem, inquam, peccatorum, & donationem iustitiæ.

VII. Verum hæret Sophista nimium mordicus definitionis nomini, quod Calvinus vsurpauit. Nos in Dialecticas formulas non anquirimus, sed rem consideramus potius. Et, qui scimus ineptas esse probationes, imo, non esse probationes, quæ medium mutant, inde potenter conficimus idem esse Paulo, imputationem iustitiæ, & peccatorum remissionem. Esse enim propositum probare, Dauidem pronuntiare, beatum esse cui Deus imputet iustitiam sine operibus. Assumi demonstrationem ex Psalmo trigesimo secundo, Beati quorum remissa sunt iniquitates. Vtrinque manifestum eodem sensu beatum, siue beatos dici, quo in axioma est suppositum. Restat attributum. Id in Paulo est, cui Deus imputat iustitiam sine operibus, in Dauidem autem, quibus remissa sunt iniquitates. Verba ipsa sono differre, syllabisque & literis, non est quod quisquam moneat. Sed, an sensu? Hoc videndum. Certe si alij sunt, quibus peccata remittuntur, quam quibus imputatur iustitia, idem peccatum Paulus peccauit, quod Sophista, qui concludunt à baculo ad angulum. Falsum erit, inquam, Dauidem pronuntiare beatum esse, cui Deus imputet iustitiam. At Catholicæ menti impia videtur huiusmodi cogitatio.

VIII. Neque mihi Bellarminus occinat suum, aliquid, quod pertineat ad iustificationem: Eadem enim etiam hic stupiditas. Nam, si quis hominem probaret esse ἀλογον, qui pedes non ratiocinentur, aliquid de eo iudicaret Sophista? Omnino si remissio peccatorum, est duntaxat aliquid iustificationis, immanis Sophista est Paulus, qui, ab ea remissione, concludat iustitiam imputari, & imputari sine operibus. Discant à seipsis Papistæ, qui hanc ipsam consequentiam à nobis cum audiunt, putant se & neruos omnes præcidere, cum negant iustificationem consistere in sola remissione. Quod aduersum nos valere putant, cur non valeat aduersus Paulum? cum nos nihil nisi recitemus eius verba.

IX. Magnum autem mendacium, Apostolum ex non imputatione peccatorum concludere imputationem iustitiæ. Nam, quid hæc sunt omnia, ad illa tam diserta verba, Δαδιδ ληγει τον μακαριστον τον αυτηρωπον ωθεις λογιστου δικαιοσυνην αυτου? Aut, quis vnquam interpretatus est, Dauid dicit id est, ego ex Dauidis verbis elicio? Atqui paulo ante, Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Audin? Dicit Scriptura, estne id, ego, ex iis quæ dicit Scriptura, colligo Abrahamum credidisse? Nec opus pluribus.

X. Magnum iterum mendacium, docere, non posse remissionem peccatorum separari à donatione iustitiæ, nimirum inherentis: nam hanc ille somniat semper. Vbi, aut quibus verbis? Imo contra, iustitiam imputari dicit sine operibus. Et alioqui, vt ante diximus, remissio peccatorum saltem in infantibus separatur ab ea inherente seu operum iustitia. In adultis fatemur nunquam separari. Sed id negamus hoc loco aut dici, aut etiam innui.

XI. De altero loco ex quinto posterioris ad Corinthios, responderet idem Bellarminus capite decimo. Hanc non imputationes secum trahere remissionem peccati, & iustitiæ infusionem. Ideo enim, non reputare Deum nobis delicta, quoniam satisfecerit pro nobis Christus, & hac satisfactioe Deus placatus reconciliauerit nos sibi, & ex inimicis amicos fecerit. Ita-

que, & ad Colossenses dictum, Coniustificauit vos in Christo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus vos erat chirographum decreti. Vbi viuificatio pertinet ad internam renouationem. Quanto ad Romanos, Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliati sumus accepimus, & post, Abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes regnabunt in vita per ipsum. Itaque, reconciliatio non est sola non imputatio delictorum, sed acceptio abundantiam gratiæ, & iustitiæ, & donorum, per quæ ad ipsum quoque regnum, & vitam peruenitur æternam. Denique primo ad Colossenses, Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.

XII. At nos, primò non agnoscimus hanc non imputationem, trahere secum remissionem peccatorum, sed esse ipsam remissionem peccatorum: idem, inquam, esse tum re, tum ratione, sed vere dicere poterat, hanc conciliationem trahere secum, tum remissionem peccatorum, tum iustitiæ infusionem. Hanc quidem, vt effectum necessarium, sicut Solis ascensus supra horizontem trahit secum illuminationem aeris, illam vero tanquam proprium fundamentum, vt, trahere secum, significet, præsupponere, siue, simul esse. Quid ergo? Nimirum hoc quaeritur, vtum reconciliatio, siue iustificatio, consistat in iustitiæ infusione, non vero, vtum remissio peccatorum hanc secum trahat. Nam, etsi ascensus Solis secum trahat illuminationem aeris, tamen, & re, & ratione aliud est ascensus, aliud illuminatio. Cur non etiam remissio, siue non imputatio, & infusio?

XIII. Audio Deum conuiuicasse nos, donando omnia delicta, sed, viuificationem illam pertinere ad internam renouationem, cur concedam potius quam ad illud certo adipiscendæ æternæ vitæ? Patet ex simili loco secundi ad Ephesios, Viuificauit nos per Christum, cuius gratia estis seruati, vnaque excitauit, vnaque collocavit in caelis in Christo Iesu. Nam certe & excitati, & collocati in caelis, nulli nisi spe. Itaque, & viuificati similiter. Et ita postulat oppositio: nam, qui mortui erant in peccatis, iidem erant damnati ad pœnas æternas, itaque, viuificati, iidem liberati ab illa damnatione, non autem liberati per infusionem iustitiæ, alioquin Apostolus ridicule exclamasset, Quis me liberabit?

XIV. Abundantia gratiæ, & donationis, & iustitiæ, perperam refertur ad infusionem iustitiæ, siue donorum, cum nihil aliud significet, quam ipsam illam, de qua disputamus, imputationem iustitiæ, de qua etiam toto eo capite ex professo agitur, & appellatur, gratia Dei, & donum per gratiam, paulo ante, & sapius, χαρισμα. Quin locus ipse exigit. Non, sicut per vnum peccantem, hoc est, interprete Beza, vt illud quod introiit per vnum qui peccauit, ita & donum, siue, beneficium. Το ρδ ρδ ελιμς, Nam, iudicium quidem, siue reatus, ex vno, id est, vnus offense introiit ad condemnationem: Gratia autem, το δ ε χαρισμα, quod autem gratificatur Deus datur ex multis offensis ad iustificationem. Si enim vnus delictio mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis iustitiæ accipientes, in vita regnabunt. Prorsus abundantia gratiæ, donationis (Bellarminus perperam donorum dixit) & iustitiæ, est διεννης, est χαρισμα, ex multis offensis ad iustificationem: Ast hoc non est, non potest esse aliud, præter imputationem iustitiæ, siue remissionem peccatorum. Ratio in promptu, quia illud, ex multis offensis, idem est, quod ex omnibus: nam, si non omnes condonarentur, nulla esset salus, quandoquidem, qui in vno delinquit, est omnium reus. At infusio iustitiæ, non opponitur omnibus delictis, quandoquidem, si dixerimus, nos peccatum non habere, veritas non est in nobis. Itaque, hæc abundantia iustitiæ, quæ opponitur multis, id est, omnibus delictis, non est infusio.

XV. In primo ad Colossenses, primum, quid cogit, idem esse, reconciliauit in corpore carnis eius, & exhibere vos sanctos, & immaculatos? vt non sit potius hoc illius, siue consequens, siue effectum? Quamquam nihil est necesse. Nam, exhibere immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso, necessario hanc describit imputationem iustitiæ. Nam, per infusionem, nemo constituitur immaculatus, & inculpatus coram Deo, quia nullus sine peccato, sed per hanc imputationem, qua fit, vt remittantur omnia omnino peccata, quasi nulla vnquam fuerint.

XVI. Tapperus, quid in animo habuerit, difficile est diuinare, Hæc Apostoli sententia, inquit, requirit, præter remissionem, siue non imputationem peccatorum, impij reconciliauonem. Nam, quid hoc, quæso, esse potest? Intellego duo nominari distincte, reconciliare, & non imputare, sed, quid hoc ad illud Tapperi? Sol illuminat hemisphærium, ascendendo supra horizontem, an tu dicas, aliquid postulari præter ascensum supra horizontem? Cur magis apud Paulum: est enim similis ratio. Itaque, nobis quidem liquet reconciliauonem hominis cum Deo, perfici illa remissione peccatorum, neq; propterea subaudiendum quicquam.

XVII. Sed Chrysoctomus explicat, inquit, Esto sane: Chrysoctomum audiamus; Reconciliauit, hoc est, amicos sibi fecit per Christum. Hoc est enim admirabile, non quod amicus factus est solum Deus, sed quod sic amicus factus. Quomodo sic? εθεις αυτου τον αυτηρωπον τον αυτηρωπον: dimissis peccatis: aliter enim non poterat. Audio, sed vbi, inquam, illud est, aliud subaudiendum? Nam, hic quidem nullum vestigium est. Docet Chrysoctomus, inquit, reconciliatum esse Deo mundum, maius esse quam non imputare peccata: Itane? Sed, quis tibi, Tappere, crederet, neque oculo, neque aurito testi? Chrysoctomus reconciliari simpliciter dixit, & sic reconciliari, atque hoc tanquam maius quid, sed maius reconciliari, quam dimitti peccata, Tappericum mendacium est. Imo, reconciliari per remissionem peccatorum, maius innuit, quam simpliciter reconciliari, videlicet, quia conciliari potest per merita, vel saltem nullis præcedentibus peccatis, & vtumque facile, sed longe difficillimum, conciliari multis magnisq; præcedentibus peccatis, vnde concludendum, maius esse, peccatorum remissionem obtinere, quam reconciliari, contra quam Tapperi sophisma concludebat.

XVIII. Ast, qui reconciliatur, iustificatur, inquit. Ita esto sane, inquam, sed vicissim, qui iustificatur, reconciliatur: Nimirum, quia non sunt hæc re disparata, sed tantum ratione diuersa. Tamen, quid hoc ad rem? Non reconciliamur, inquit, Deo, nisi per dilectionem. Non capio, inquam, sine distinctione

etione: nam reconciliamur Deo, & cum in amicitiam Dei admittimur, & cum Deum ipsum amamus. Posteriori modo concedo, conciliari nos Deo per caritatem nostram, sed hoc nihil ad rhombum: agitur enim de priori, id est, de amore Dei in nos: aff hoc modo, falsum est, nos conciliari Deo per caritatem nostram, sed verum, per Dei caritatem: at hæc nihil relinquit in verbis Pauli subaudiendum.

XIX. Sed Bellarmini *φραση* omiſſa, rem ipsam potius videamus. Nam cap. 6. disputat ex professione, iustificationem nostram non constare sola remissione peccatorum. Sed, antequam capita examino, videamus statum quæstionis, *Calvinus*, inquit, *quamvis sua Lutherani agnoscat imputationem iustitiae Christi, & non imputationem peccatorum, & inchoatam etiam renouationem, & sanctificationem, tamen contendit, iustificationem proprie in sola remissione, id est, non imputatione peccatorum esse positam, cum Lutherani in imputatione potius iustitiae Christi eam positam esse contendant.*

XX. Mirum hominem! cui tam labilis sit memoria. Hic Calvinus pronuntiat, ex tribus capitibus, vno, remissione peccatorum, altero, imputatione iustitiae Christi, tertio, inchoatione renouationis, solum primum admittere ad iustificationem; at Lutheranos magis secundum. Et tamen, capite primo, locos ex Caluino recitauerat, in quibus, *ἀπενομοία* & Calvinus, & primum & secundum coniunxit. Ex Institutionis lib. 3. cap. 11. §. 2. *Nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet, eamque in peccatorum remissione, ac iustitiae Christi imputatione positam esse dicimus. Quid manifestius? §. 3. Iustificare, nihil aliud est, quam eum qui reus est, vel agit, tanquam approbata innocentia a reatu absoluerit. Cum itaque nos, Christi intercessionem, iustificet Deus, non propria innocentia approbatione, sed iustitia imputatione nos absoluit, ut pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.* Potuit quicquam magis contra Bellarmini figmentum dici? Quid Calvinus dico. Relegat ipse Bellarminus ipsius Bellarmini verba, statim post eos recitatos locos, *Itaque, cum idem Calvinus contendit, iustificationem non esse positam nisi in peccatorum remissione, non excludit imputationem iustitiae Christi, sed internam renouationem, & sanctificationem; En tibi memorem mendacem.*

XXI. Atque adeo ita est, nos ex iustificationis ratione, sic definita per acceptionem, qua nos Deos in gratiam receptos pro iustis habet, excludimus regenerationem, quam censemus esse potius eius iustificationis effectum. Sed imputationem iustitiae Christi, omnino censemus eiusdem iustificationis fundum esse, qua neglecta, prorsus illa nulla sit, neque in totum, neque ex parte, quomodocumque tantum vel cogitatione concipi queat. Nam, etsi, ut in omni mutatione, geminus terminus concipiatur, à quo, & ad quem, atque haec tenus distinguamus remissa peccata, ab imputata iustitia, nempe censeamur non tantum non peccatores, sed etiam iusti, tamen certi sumus, ne illud quidem prius, constare posse absque imputata iustitia Christi. Inde Caluini verba, *iustitia imputatione nos absoluit.* Nimirum, quia hic ambo illi termini re non differunt, sed tantum ratione. Quemadmodum, etsi creatio sit à non esse ad esse: tamen non prius re descendit à non esse, postea transitur ad esse, sed vno eodemque actu, nec diuiso quidem per partes, à non esse transitur ad esse. Sic liberatio, à seruitute in libertatem, sic illuminatio, à tenebris in lucem, sic eruditio, ab ignorantia ad scientiam, & mille eiusmodi.

XXII. Hoc igitur modo, hoc sensu, dicimus Catholici, iustificationem nostram totam consistere in remissione peccatorum, quia re non differunt, remissio peccatorum & imputatio iustitiae, sed tantum iustificatio, & regeneratio. Itaque à ratione iustificationis, & à ratione, inquam, iustificationis, non autem à iustificatione excludi regenerationem. Papistæ vero, qui etiam ridet imputationem iustitiae, negant se posse ullam iustificationis rationem concipere absque infusa, inhaerenteque iustitia, cui apud nos regenerationis nomen est.

XXIII. Deque ea quæstione disputat Bellarminus. Et primo ex præiudicio, nimirum, quia probat cap. 3. secundi de iustificatione, inhaerentem esse iustitiam nostram formalem: & in libro de iustitia operum plene refutasse. Sed hæc præiudicia, nos altero præiudicio retundimus, quia nimirum, quæcunque iis locis illi disputata fuerit, nos potenter refutauimus. His ergo omiſſis, quæ nunc pauca habet noua videamus, ex Scriptura, ex ratione, ex Augustino.

XXIV. E Scripturis delegit sex locos. Horum primus est, ex quarto ad Romanos, *Quid traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Hic, inquit, Apostolus nomen iustificationis tribuit potius renouationi internæ, quam remissioni peccatorum. Ergo iustificatio non modo non sola remissione peccatorum constat, sed ne præcipue quidem. Antecedens probat: quia non dubium sit, quin velit, mortem *CHRISTUS* esse exemplar mortis peccatorum: resurrectionem vero renouationis & regenerationis internæ. Hoc ipsum patere ex cap. 6. vbi Baptismi merione representari mortem Christi, resurrectionemque, & simul mortificationem vitiorum, & nouitatem vitæ.

XXV. Respondeo, Antecedens esse falsum. Nam renouationis internæ hic neque nomen, neque descriptionem ullam audis, sed tantum iustificationis. Cur non nostro sensu? Aut quid absurdi, hanc resurrectioni Christi imputare: quandoquidem vt mortuus, sic rediuius non nisi pro nobis? Nam, quod propter peccata mortem, propter iustificationem resurrectionem dicat, nihil habet vitium? Nam primo, cur illud, propter peccata, significet propter peccatorum remissionem? cur non simpliciter peccatorum poenam? Nam, etsi verum, peccatorum remissionem non esse nisi à poena perſoluta, tamen aliud est, ipsum Christum poenam perſoluere, aliud, inde nobis peccata dimitti. Neque enim nullum interuallum est inter causam & effectum. Itaque facilis sensus, mortem pertinere ad poenas solutas, resurrectionem ad secutam inde remissionem, sicut in bello, etsi pugnetur pro libertate, tamen non pugna liberat, sed pugnam secuta victoria.

XXVI. Itaque etiam illud falsum, proponi mortem exemplar mortis peccatorum, resurrectionem nouitatis vitæ. Causam potius. Nam de causa disputatio erat instituta. Tum autem, etiam conclusio manifeste de im-

putatione, quæ nihil ad exemplar, *Quapropter hoc etiam imputatum est ei iustitia.* Non scriptum est autem propter eum solum, quod hoc imputatum fuerit ei, sed etiam propter nos, quibus futurum est vt imputetur, iis nimirum qui credunt in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, traditum propter offensas nostras, & excitatum propter iustificationem nostri. Viden' audin' imputationem iustitiae, in nostri gratiam concludi, vt ne soli Abrahamo *ἐξ ἑλεος* non putemus? Ergo, imputatur iustitia nobis, quibus nobis? creditibus in Iesum resuscitatum. Quare suscitatum? quia non tantum mors eius, sed & resurrectio fundamentum huius mysterij. Iustificatio igitur omnino intelligenda, imputatio iustitiae, non autem similitudo, siue exemplar.

XXVII. Capite sexto, concedo hoc haberi quod de exemplari dicitur, *Sepulti igitur sumus vna cum eo per Baptismum in mortem, vt sicut excitatus est CHRISTVS ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos noua vita ambulemus.* Verum hic & occasio alia, nec phrasî eadem. Occasio quidem, quia de Sanctificatione sermo instituitur, non iustificatione. Patet statim ab initio capitis. Nam, cum capite præcedenti, conclusum esset, non tantum iustificari hominem absque operibus legis, sed etiam, vbi peccatum maius est, ibi magis abundare gratiam, scilicet iustificationis, in promptu erat obiectio, permanendum in peccato, vt gratia auctior fieret. Paulus negat se qui, *Nam, qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo?* Vnde manifestum, aliud esse iustificari, aliud, non manere in peccato.

XXVIII. Nam primo, non is sensus erat obiectio, permanendum esse in peccato ante iustificationem, vt postea tanto sit maior iustificationis gratia, cum conferretur. Obstat enim ratio Pauli, *Qui mortui sumus peccato, quæ verba præsupponunt non moriturum, vt esset necesse, si de iustificatione futura sermo esset, sed iam mortuum.* Itaque necesse est, etiam obiectioem supponere iustificationem iam factam. Alioquin prompta aduersus Paulum instantia esset, non respondere ad rem, quia loqueretur de iustificatione collata, illi obicerent de conferenda. Hoc posito, aliud sequitur, nempe, aliud esse iustificari, aliud, non permanere in peccato. Nam, si essent idem, absurdissima, imo impossibilis esset obiectio, quomodo qui concluderet, manere cœcum, cui visus restituitur, claudicare, cui gressus restituitur, denique, manere in morte, qui educitur in vitam. Si igitur aliud est iustificatio, siue gratia, aliud, non manere in peccatis, longe alia disputatio est sexti capitis, quam præcedentium, & non sunt sani, qui confundunt.

XXIX. Phrasæ etiam manifesta diuersitas. Hic quidem, *Traditus propter offensas:* illic veto, *Sepulti sumus vna cum eo per Baptismum in mortem.* Hic, *Excitatus propter iustificationem nostri.* Illic, *Sicut excitatus est CHRISTVS ex mortuis ad gloriam Patris, ita & nos noua vita ambulemus.* Viden' non sepultum dici Christum, sed nos vna cum eo sepultos? Nimirum, quia, sicut ille sepultus, sic & nos. At hoc longe aliud, quam, ille sepultus propter nos. Rursus, ille resurrexit propter iustificationem, aliter dicitur, quam nos ambulemus in noua vita, sicut ille resurrexit. Nota, adhortationem esse, non enim *ἀπὸ τῆς πατρὸς*, sed *τῆς πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ*, de iustificatione autem, nunquam adhortando, *ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, sed indicando *ἀπὸ τοῦ υἱοῦ*. Itaque non sequitur, quarto capite resurrectionem Christi exemplar dici renouationis, vt sexto.

XXX. Secundus locus ex quinto ad Romanos. Nam cum ait, *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam,* opponit iustitiam peccato, & per iustitiam intelligit internam renouationem, ex qua procedunt opera vitæ. Probat, quia ita requirat antithesis. Peccatum enim regnasse dicitur ad mortem, quia operabatur opera mortifera, contra igitur, gratia Dei regnare dicitur per iustitiam in vitam, quia per iustitiam infusam operabitur opera vitæ. Si autem renouatio interna recte vocatur iustitia, procul dubio iustificatio in illa renouatione, & non in sola remissione peccatorum constituenda erit.

XXXI. Respondeo, iustitiam hoc loco, intelligi internam renouationem nostram, concedi non posse, sed iustitiam illam *CHRISTUS*, cuius imputatione sumus iusti: Neque concedimus ullam in Antithesi vim esse, quæ illud inferat. Peccatum fatemur intelligi id, quod regnabat per opera mortifera, siue melius, ipsam illam corruptionem nobis inhaerentem, vnde opera mortifera, sed propterea iustitiam intelligendam nobis inhaerentem, prorsus negamus. Non enim omnino eadem ratio cadendi, quæ resurgendi. Cadere homo non potuit, nisi per proprium peccatum, nunquam per alienum. Sed vicissim, qui per proprium peccatum cecidit, non potuit resurgere, nisi per alienam iustitiam. Quomodo non potest decoctor in neruo esse nisi per propriam indigentiam, sed neruo solui idem non potest, nisi per alienum opulentiam, nimirum eius, qui pro eo, pecunias numerat. Itaque comparatur peccatum iustitiae, non tanquam inhaerens inhaerenti, quo se ipsum decipit Bellarminus, sed tanquam causa causæ, illiæ mortis, hinc vitæ.

XXXII. Quanquam negare etiam possumus, per peccatum intelligi à Paulo inhaerentem nobis corruptionem. Toto enim illo capite causam potius eius corruptionis significauit, nimirum Adæ peccatum: Sic enim & vnum hominem opposuit vni homini, scilicet Adamum *CHRISTO*, & *ἐὶς τὸ ἀδελφωμά, ἡσάθη τὸ ἐν εἰς: & ἐὶς τὸ ἁμαρτωλίον τῆ ὕψους τὸ ἐν εἰς.* Vnde facilis sensus. Vnum illud Adæ peccatum regnare in mortem, & vnam iam iustitiam Christi regnare in vitam.

XXXIII. Tertius locus, ex sexto ad Romanos, *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiae Deo.* Docet, inquit Bellarminus, in nobis esse iustitiam loco peccati, & per iustitiam intelligit aliquod inhaerens, vnde procedunt opera.

XXXV. Omnino, inquam, ita est. Et quem, quæso, ex nobis contradicentem, Bellarminus offendit? Omnino ita est, esse in nobis aliquam iustitiam, & esse loco peccati prius, non tantum inhabitantis, sed etiam regnantis. Et esse aliquod inhaerens, esse, vnde procedant opera. Potuitne à nobis Sophista plura expectare? Sed Sophista, cur non meminit non controuerti, vtrum id sit in nobis, sed vtrum ea nostra sit iustificatio: an potius remissio peccatorum? Itaque *ἐσθλή & σοφῆ.*

XXXV. Quar-

CAP. XVI.

Remissionem esse imputatiuam.

I. **A**tque esto disputata minor Syllogismi. Maior, quæ posuit omnem remissionem peccatorum esse imputatiuam, propterea rursus controuersia disputatur, à Pererio, disputatione tertia in 4. ad Romanos: Beccano, cap. 1. de iustificatione Caluini itaru. Lindano, Panopliæ lib. 4. cap. 22. Feuardentio, Theomachia lib. 8. cap. 4.

II. Nos ergo asserimus, Remissionem peccatorum ipsam per se consideratam, non nisi imputatiuam esse, hoc sensu, vt nullam realem in ipso homine mutationem significet, sed Dei tantum indulgentiam, non imputantis fidei peccatum, quod ille tamen vere actu admittit, imo etiam actu habet. Nam peccatum Originale, id est, ipsa illa corruptio, quæ abducit nos à iustitia, manet tota vita in fidelibus, abolenda quidem magis magisque, sed nunquam penitus, donec in cælos delati, regnemus cum Christo. At remissio peccatorum non differtur eo vsque, sed in præfenti datur. Itaque simul oportet consistere & inhærentiam peccati, & eiusdem remissionem. Hæc nostra sententia est.

III. Aduersarij vero hanc sententiam magnæ hæreseos damnant, voluntque in remissione ipsa prorsus auferri, ac radicitus euelli peccatum, atque ad eam remissionem restitui perfectam iustitiam.

IV. Primum illis argumentum est apud Lindanum ex Geneseos tertio. Cum Christus illud mulieris semen, serpentinum illud caput semel contriuerit, quis profligata adeo audacia, dicam, au impietate fuerit sacrilega, qui Diabolo aliquam pristinam dominatum portuunculam in illos adferbat, aut defendat, quos CHRISTVS Dei omnipotentis Filius sua morte à Diaboli tyrannide vindicauit: à peccati seruitute asseruit? suo sanguine, quasi agni immaculati, redemit, abluuit, emundauit? Forma hæc est. Qui liberat à tyrannide Diaboli, nullam pristinam dominatum portuunculam relinquit. At Christus liberat à tyrannide Diaboli. Ergo nullam dominatum portuunculam relinquit. At Christus contriuit caput serpentis. Ergo. Probatum maior, quia conterere est profligare, atque in nihilum, puluisculi modo, redigere.

V. Respondeo, illud, nullam relinquere dominatum portuunculam, varie posse exponi, vel de effectu ultimo, vel de perpetuo. Illo modo, significat tandem futurum, vt omnino fideles liberandi sint ab eo dominio, ita vt nulla ex parte subsint ei fideles, non iam fideles, sed beati. Altero autem, iam statim ab ipso fidei initio primo, atque inde per totam hanc vitam, eam libertatem plenissimam constare, adeo vt non per gradus fiat, promouendo, & ad perfectionem tendendo, sed vno eodemque impetu, atque actu indiuiso, denique instanti.

VI. At nos, priori quidem modo concedimus vniuersum argumentum. Absit enim, vt quicquam diminuamus, vel de gloria Domini, vel de beatitate Sanctorum, quos nobis Scriptura tandem glorificandos describit, atque in ea gloria possessuros regnum cælorum. Verumtamen hæc, quæcumque quantuncumque gloria est, nihil ad præsentem controuersiam, cuius operæ pretium est inquirere, non, quid olim futurum sit, cum admitemur in cælestes nostras mansiones, sed, quid nunc fiat in nobis, dum peregrinamur in hac miseriarum valle, & peregre absumus à Domino.

VII. Altero autem modo, constanter negatur minor vtriusque Syllogismi. Nam, si ne portuuncula quidem residua est dominatum tyrannici, cur morimur? Nam Paulus, ad Roman. 8. *Si Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum spiritus autem vita.* An, cui corpus adhuc mortuum est, & quidem propter peccatum, nihil is residui sentit de diaboli tyrannide? Et 7. disertius. *Nempe igitur ipse ego mente quidem seruo legi Dei, carne vero legi peccati.* Et nullum illud est residuum peccati dominium? Rursus ibidem: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nempe plena libertas nondum, nisi in spe, ac proinde non verum, sic contentum esse à Christo caput serpentis, vt iam nunc instar pulueris minutissimi sit in nihilum redactum, sed verum, tandem aliquando redactum iri: teste Paulo, prioris ad Corinth. 15. *Quum hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturam, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet illud, quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam. Vbi tua o mors victoria? Vbi tuus, o sepulcrum, stimulus? Stimulus vero mortis, peccatum.*

VIII. Secundum argumentum eiusdem Lindani. Si æneus ille serpens, in deserto, in Christy pum erectus, Judæos à venenatis regulatorum moribus plane liberauit, curauit, sanauit, quod de Christo eius antitypo aliud sentiendum, quam tanto dira isthæc antiqui illius serpentis venena in Christianorum cordibus, Christi gratia ac pharmaco sanari plenius, euelli magis stirpitur, mundari purius, quanto umbra præstet corpus, atque serpente æneo efficacior est Christus.

IX. Simile Sophisma, eadem soluendum distinctione. Typi significant, quid futurum sit, vt faciat Christi gratia, sed momenta temporum non distinguunt, quibus ita futurum sit. Itaque implentur eorum significata, si certum sit id aliquando futurum, quod illi pollicentur, non sequitur ergo, sicut in vita hæc perfecte sanabantur ab iis moribus Israelitæ, sic in hac vita perfecte sanatum iri fideles à peccato. Atque adeo idem ipse serpens, qui statim vt factus, in altum elatus, Christum ipsum significauit crucifigendum, etsi non nisi annis post natiuitatem triginta, & quod excurrit. Et rursus, non quomodo ille semper elatus, sic iste nunquam non cruci affixus, sed duntaxat paucas horas?

X. Tertium argumentum rursus est Lindani. Cum Christus Dei Filius ad hoc apparuerit, vt dissoluat opera Diaboli, teste Joanne, tertio capite primæ, an istum vitiorum fontem, & operum Diaboli plane omnium caput, possit non delere, tollere, soluere, abolere, si suas ipsi instauratæ salutis humanæ partes velimus constare saluas? Quapropter, vt ne in Christum Dei Filium verissimum animarum nostrarum perdituram instauratorem, seruato rem, adeo sacrilegi sumus & impie sacrilegi, prorsus agnoscendum est, atque profutendum, Christum Diaboli opera vere soluere, prorsus delere, atque om-

nia omnino semel abolere, ne frustra ad hoc apparuisse, ac varæ homo factus fuisse conuincatur.

XI. Respondeo: concedi, quod in antecedente ponitur ex Joanne, Christum venisse, vt soluat opera Diaboli. Nihil illo verius, alioquin non remitterentur peccata, non iustificaretur quisquam, aut seruaretur. Sed negati consequentiam, quæ plus inferat: nimirum, non tantum, vere soluere, atque prorsus delere, sed etiam omnia omnino semel absoluere, quod nunquam concedet quisquam, cui sit cognita salutis & economia. Quod enim fit sensum, & per partes, ac gradus, id omnino semel fieri, falsum.

XII. Hactenus Lindanus. Deinceps sufficit argumenta Beccanus. Quartum esto igitur. Quod tollitur, deletur, exhauritur, & longissime proicitur ab homine, certe non manet in homine. Sed in iustificatione peccatum tollitur, deletur, exhauritur, & longissime proicitur. Ergo peccatum non manet in homine iustificato. Assumptum patet. Joannis primo, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Actor. 3. *Pœnitentini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Ad Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhauienda peccata.* Michæ 7. *Proiciet in profundum maris omnia peccata vestra.*

XIII. Respondeo. Primo, illud, in iustificatione, vel tempus significare, vel causam. Vel enim significat, tum temporis, cum primum iustificamur, illa omnia fieri in nobis, vel tantum, accepta iustificatione fieri tandem, & suo tempore. Itaque responsio eadem quæ in præcedentibus. Nam hoc posterius prolixè conceditur, & est extra thesin. Sed illud prius negatur, & mirum est tam sepe sumi, nunquam à quoquam probari.

XIV. Secundo: distinguendus est vocabulorum vsus proprius à metaphorico. Nempe, quicquid tollitur, deletur, exhauritur & longissime proicitur proprie, id verum est, non remanere in homine, à quo tollitur, deletur, exhauritur, proicitur. Et huc pertinent exempla, macularum, fordidum, inquinamentorum corporis, quibus Beccanus tantopere confidit. At, quæ tolluntur, deletur, exhauriuntur, proiciuntur metaphorice, ea nihil necesse est non remanere in homine. Exempli gratia, concupiscentiam fatentur ante Baptismum vere esse peccatum, itaque etiam remitti in Baptismo, vt necesse sit in Baptismo tolli, deleri, exhauriri, proici concupiscentiam. At concedunt illi tamen, eandem concupiscentiam manere. Ergo alterutrum necesse est, vel remitti concupiscentiam, id est, tolli, deleri, exhauriri, proici, vel, quicquid tollitur, deletur, exhauritur, proicitur in Baptismo, id est remittitur, non propterea non manere in homine. At qui illud falsum, consentientibus vtriusque, cum Catholicis, tum Papistis: Ergo hoc verius, quod nos nunc volumus.

XV. Quintum. Qui à corporis vinculis, funibus, & catenis, quibus constrictus erat, plane eximitur, & liberatur, is certe non retinet illa in suis membris, nec amplius circumfert. Ergo similiter, qui à spiritualibus vinculis, funibus, & catenis, quæ sunt peccata, quibus constrictus & captiuus erat sub potestate Satanae, eximitur, & liberatur, quod fit in iustificatione, is non retinet apud se eiusmodi vincula, nec amplius circumfert. Liberari autem fideles, probant multi Scripturæ loci.

XVI. Respondeo, recte poni in protasi, eum qui plane eximitur, sed vafre sumi in apodosis, eum qui eximitur. Cur non enim, qui plane eximitur? Nempe, timuit sibi Sophista, ne obiceremus illud Apostoli Pauli, *quis liberabit me?* Falsum est ergo nos plane liberari. Augustinus in Joannem tractatu quadragesimo primo, *Cum ceperint ea non habere*, nempe crimina, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furum, fraus, sacrilegium, & cætera huiusmodi: *Cum ergo ceperint ea non habere homo, debet autem non habere omnis Christianus homo, incipit caput erigere ad libertatem, sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio. Caro, inquit, concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, vt non ea qua uultis, illa faciatis. Ex parte libertas, ex parte seruitus, nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena sternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quicquid peccatum est à nobis antea, deletum est in Baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic uiueremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi misericordia liberationis indignus, nisi qui seipsum uult decipere, & in quo ueritas non est? Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex qua parte seruiamus Deo, liberi sumus, ex qua parte seruiamus legi peccati, adhuc serui sumus. Et aliquanto post, *Quando plena & perfecta libertas erit? Quando nulla inimicitia, quando nouissima inimica destruetur mors. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.**

XVII. Nempe igitur non est nulla libertas, si sit adhuc aliquo modo peccatum. Et vicissim, si sit libertas aliqua, non tamen non remanet peccatum. Bis nunc, id est, in hac vita sumus liberi, & quia exempti à damnatione, propter peccata, quia gratiam consequuti, & quia interea dum expectamus spem nostram, non dominatur nobis peccatum, etsi inhabitet. Tertio, tandem liberi futuri, cum non tantum non damnabit, nec tantum non regnabit, sed ne inhabitabit quidem. Et hæc perfecta libertas erit. Erit, inquam, non est. Itaque puerilis est Beccani cauillatio.

XVIII. Sextum. Medicus corporalis, qui in sua arte peritissimus est, ita nouit curare omnes morbos ac vulnera, quæ ipsius arti subiecta sunt, vt omnino non maneant in corpore, sed plane pereant ac destruantur. Ergo etiam Medicus spiritualis, qui peritissimus sit, ita potest curare omnia peccata, quæ sunt morti ac vulnera animorum, vt omnino pereant ac destruantur. Est autem in hoc genere peritissimus Dominus, qui propterea Saluator dicitur est. Ergo Christus potest plane tollere peccata omnia, quibus animus vulneratur, & affligitur. Ergo in homine per Christum iustificato & sanato, non manent amplius præcedentia vulnera & plagæ peccatorum.

XIX. Respondeo, duplicem necesse consequentiam. Priorem, Ergo Christus potest plane tollere peccata omnia. Hanc nos absque vlla controuersia concedimus. Inde enim spes nobis certissima plenæ perfectæque illius liberationis, quam dicebamus. Alteram, Ergo in homine iustificato non

non manent amplius precedentia vulnera peccatorum. Haec nos negamus. Quod aliud colligit, quam erat propositum. A potentia ad actum non valet consequentia, neque negato hoc illove actu, potentia negatur: Maxime cum causa est voluntaria, quae actum pro arbitrio suspendit. Sic, Deus potest mundam destruere, nondum tamen destruxit. Et Christus potuit mortem penitus aboleret, si enim non posset, ergo nunquam aboleret, & tamen nondum aboleuit. Denique, ut fabulas etiam papisticas expediatur aduersus Papistas, poterat Petrus Petronillam suam, si suam, si liberare febris, quam tamen patiebatur in lecto detineri. Et hic neganda nobis erit Saluatoris nostri potentia, nisi, quoties, & quando venerit in mentem Beccano, statim exferat quicquid habet iuris, facultatisve? Blasphemant ita Iesuitae. At Christiani à Paulo didicerunt, & exclamare, *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis*, & statim subiicere, *Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum*, ut se ostendant ita suscipere praesens sensu peccati adhuc inhabitantis, ut tamen acquiescant voluntati diuinae.

XX. Septimum. Quando corpori mortuo restituitur vera vita, mortem penitus extingui necesse est, quia idem corpus simul viuum, & mortuum esse non potest. Ergo similiter, quando animae mortuae restituitur vita spiritalis, mortem penitus deleri necesse est. At peccatum est mors animae: Ergo quando vita restituitur animae, necesse est peccatum aboleri.

XXI. Respondeo: Peccatum non esse simpliciter mortem animae, sed peccatum imputatum, peccatum non dimissum. Nam peccatum remissum, & non imputatum, infirmitas est, non mors. Probat facile, quia alioquin nemini hominum restituta esset vita, quandoquidem Joannes clamet, neminem esse sine peccato. Non est autem necesse, restituta vita, tolli continuo omnem infirmitatem. Itaque Augustinus paulo ante, *Nunquid, quia delata est nota iniquitas, nulla remansit infirmitas?*

XXII. Octauum. Ecclesiast. 31. *Vomere & refrigerabit te: & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Sicut qui retinet vomitum, morbo & infirmitati fit obnoxius, qui reicit, refrigeratur, sic etiam, qui peccatum apud se retinet, ægrum & nauseantem animum habeat necesse est, qui proicit, sanitatem recuperat. At, si proicit, quomodo manet in homine?

XXIII. Respondeo, ridiculum esse argumentum. Primo, quia vomitus, non est remissio peccatorum, non est iustificatio. Ratio in promptu, quia vomitus fit à nobis, remissio à Deo. Sed est sanctificatio, quae ita fit à Deo, ut etiam fiat à nobis. Deinde, non dicitur per vomitum relictum omnimodam sanitatem: nam & hoc manifeste falsum, sed, quod vete potuit dici, *refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Quia ratione etiam verum est, magno eum pondere leuari, qui renuntiat peccato, neque sibi damnationem acquirere, sed quomodo, qui vomit, non propterea integre perfecteque sanatur, sic neque qui peccato renuntiat, nihil retinet infirmitatis. Tertio, non tantum verum est, qui peccatum retinet, ægrum & nauseantem animum habere, quod Beccanus ponit, sed etiam, quod nos addimus, nullum fidelem quamdiu hic viuit, non habere ægrum & nauseantem animum. Alioquin vnde illud, *Quod volo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc ago, si nulla nausea est, nulla ægritudo?*

XXIV. Nonum. Peccatum originale est prauitas naturae humanae, hoc est, cæcitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu aeternae mortis. At, peccatum originale manet in fidelibus: Ergo in fidelibus vere manet cæcitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu aeternae mortis. Ergo fideles sunt vere cæci mente, auersi à Deo, & rei aeternae mortis. Propositionem vti que probat ex nostra doctrina.

XXV. Respondeo, aliud esse definire, quid sit peccatum originis in se, aliud quid efficiat in homine: Itaque conceditur prioris consequentiae conclusio, remanere in fidelibus auersionem voluntatis. Quis enim neget, quod tam manifeste denuntiat Paulus, *Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meae.* Remanere cæcitatem mentis, nesciunt enim, quomodo orare debeant, teste Paulo. Sed negatur tamen fideles esse aut cæcos mente, aut voluntate auersos à Deo. Nimirum, quia non est in eis id peccatum, aut solum, aut regnans, sed suppedatum spiritu illo qui datus est eis. Atqui, etsi verissimum sit, id peccatum esse cæcitatem mentis, & auersionem voluntatis, tamen falsum est, efficiere cæcos mente, & auersos à Deo omnes eos in quibus est, sed tantum in quibus regnat. Sic enim docuit Paulus, 7. ad Rom. *Si id facio, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat.*

XXVI. De reatu alia ratio est. Non enim ipsum originale peccatum est reatus, sed ab eo reatus est. Ideo Paræus, quo teste Beccanus abutitur, distincte dixit, *Est prauitas natura, hoc est, cæcitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu aeternae mortis.* Recte, Non, & reatus aeternae mortis, sed cum reatu aeternae mortis. Nimirum, reatus nullum peccatum est, sed est coniequens peccati. Hoc autem consequens prorsus tollitur per remissionem, itaque, etsi peccatum ipsum insit, tamen non propterea rei sunt fideles, quia remittuntur eis omnia peccata. Sicut in civili politia, Princeps, etsi peccatum neque tollat, neque adeo possit tollere, tamen reatum tollit.

XXVII. Haec tenus Papistarum argumenta. Nunc Catholicorum confirmatur sententia, ab iis Pauli verbis ex Psalmo 32. *Beati quorum remissa sunt iniquitates: Et quorum obiecta sunt peccata.* *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* In iis verbis, tres sunt phrasae, vnam eandemque rem describentes, quae singulae suum habent momentum, dignum quod expendamus. Nam quo sunt vtiatores in sacris libris, hoc describunt plenius naturam remissionis peccatorum.

XXVIII. Prima phrasae, *remissa sunt iniquitates.* Atque haec omnium maxime propria, adeo ut iam pridè Ecclesia solenne inde nomen fecerit, tam sacrum huic rei, quam quae destinatissimo consilio imponuntur quibuscunque rebus iudicandis. Nam haec plurimae, etsi plerumque varie significantar, tamen habent aliquid eximium, & singulariter sibi affectum. Inde in Symbolo Apostolico articulus, *Credo remissionem peccatorum, & φεσι ἀμαρτιῶν*, ex frequentissimo scilicet vsu Christi & Apostolorum. Matth. 26. *Hoc est sanguis meus, Noni illius Testamenti, qui pro multis effunditur, & ἀφεσι τῶν ἀμαρτιῶν, in remissionem peccatorum.* Marc. 1. *Baptizabat Ioannes in deserto, & predicabat Baptismum resipiscendiae, & ἀφεσι ἀμαρτιῶν, in remissionem*

peccatorum. Luc. 1. *Et des cognitionem salutis populo eius, & ἀφεσι ἀμαρτιῶν, & τῶν ἀμαρτιῶν, per remissionem peccatorum ipsorum.* Inde Matth. 9. *ἀφῆκε τὰς αἰμαρτίας, & remittuntur tibi peccata tua.* Item, *Vi sciatis auctoritatem habere filium hominis in terra, & ἀφεσι ἀμαρτιῶν, remittendi peccata.* Et 12. *Quoduis peccatum & blasphemia ἀφεσθηται τῶν ἀνθρώπων, remittitur hominibus.*

XXIX. Hinc demonstratio certa proposita maioris, remissionem peccatorum esse imputatiuam, id est, in eo consistere, ut non imputentur. Primo enim, nomen est commune, tum remissioni, quam obtinemus à Deo, tum ei quam alij aliis concedimus. Patet, Matth. 6. *Si remiseritis hominibus offensas ipsorum, remittet etiam vobis Pater ille vester caelestis, sin autem non remiseritis hominibus ipsorum offensas, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.* Et 18. *Tunc adiens eum Petrus, dixit, Domine quoties peccabit in me frater meus & remittam ei?* Et post, *Nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris offensas eorum.* At certo homines alij aliis offensas non remittunt, nisi ut nunc loquimur, imputatiue, hoc est, non reapse auferendo peccata, sed tantum non imputando.

XXX. Secundo, vim remissionis Christus declarat similitudine debitorum inter homines contractorum, vnde in oratione Dominica docuit dicere, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Plene allegoria, quam postea explicauit apud Matth. cap. 18. per parabolam Domini exigentis expensorum rationem à seruo suo. At certe debita haud aliter remittuntur, quam hoc quem dicimus modo, non aliquid operando in ipso debitore, sed tantum non imputando ei as nostrum, ut ne luat, quod debuit. Neque τὸ ἀφεσθαι potest aliter intelligi.

XXXI. Nihil est, quod opponant aduersarij praeter suam auctoritatem. Maldonatus in sextum Matthaei, *Quid sit peccata remitti, alibi disputamus, nunc sine disputatione, ne forte lector erret, admonemus, dimitti, esse non solum tegi, non solum puniri, ut noui haeretici fabulantur, sed penitus etiam tolli, penitus deleri, & in profundum mare proici, ut scriptura loquitur.* Indicat margo commentaria Maldonati in quarsum ad Romanos, mihi visa nondum, sed puto similia argumenta collegisse, iis quae iam expendimus: Itaque longe esse à vero explicationem dico, qua ille cautum voluit suo lectori, qui ab ea potius caueat, si sapiat.

XXXII. Sed Graecae phrasae responderet Hebraea, David enim dixit, *שָׁשׁוּ עָמִי*, quod sonat eum, cuius ablata est iniquitas. Exodi trigesimo quarto, *Qui custodis misericordiam in millia, qui auferens iniquitatem, & scelera, & peccata.* Eliae 33. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Numer. 14. *Dominus patiens, & multa misericordia, auferens iniquitatem & scelera.* His locis auferre, est in editione Latina, ut in Graeca. ἀφαιρε. Alis vero dimittere, remittere, Exod. 32. *Aut dimitte eis noxam hanc.* Plal. 25. *Et dimitte vniuersa dilecta mea.* Et 85. *Remissisti iniquitatem plebis tuae.*

XXXIII. Ab hac phrasae Sophistis nostris audacia, non existimantibus, id remanere quod auferatur.

XXXIV. Verum, is lusus est, nihil praeterea. Nam Hebraeis familiaris erat phrasae, atque adeo vsurpata ad designandam humanam indulgentiam in peccatores. Primi Samuel. 15. Saul alloquens Prophetam, *Sed nunc porta quassa, Hebraice aufer, peccatum meum.* Vigesimo quinto, Abigail supplex Dauidi, *Aufer iniquitatem famulae tuae.* Genes. 50. Iosephum fratres orantes post mortem Jacobi, *Obsecro ut obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitia, quam exercuerunt in te.* Nam & hic Moses scripsit, *שָׁשׁוּ עָמִי*: Graecè ἀφαισι ἀμαρτιῶν τῶν ἀδελφῶν. At sane, homo nullus nullius hominis peccatum auferit re vera, & remouet ab eo qui peccauit, siue in se, siue in alium. Quare, haec phrasae non id significat, quod fit in eo qui peccauit.

XXXV. Quid ergo: Nempe id potius quod fit, ut ita loquar, in eo in quem peccatum est. Itaque, Numer. 14. *כָּאֲתֹר נִשְׁמַתָּה לְעַם הָאָדָמָה* Septuaginta reddunt *et auertis a facie tua ad terram, Hieronymus, sicut propitius fuisti.* Plalm. 99. *הִיטֵת לָהֶם אֱלֹהִים* & εὐερε ἀφαισι: *Deus tu propitius fuisti eis.* Atqui *εὐερε*, propitius, nulla qualitas est inhaerens iis qui peccarunt, sed ei potius, penes quam ius est puniendi peccata.

XXXVI. Altera phrasae est, *Quorum obiecta sunt peccata:* Hebraice *כִּסְוֵי חַטֹּאתֵיהֶם*. Sic Nehemiae 3. *Ne operias iniquitatem eorum:* Plalm. 85. *Operuisti omnia peccata eorum.* Atqui tegitur, obtegiturque, id quod est, non vero id quod non est.

XXXVII. Sed Pererius, disputatione tertia in 4. ad Romanos. *Ommino idem plane valet, peccata esse reiecta, atque esse sublata, & nulla prorsus relicta.* Audacter sane, neque ex vi verbi, Nam Genes. 7. *cum operis sunt omnes montes excelsi sub uniuerso caelo, non tamen propterea ablati, nullique relicti.* Neque, 1. Reg. 19. Michol, cum statuam operuit vestimentis, prorsus nullam reliquit. Quid plura? Ne caritas quidem operiens multitudinem peccatorum, propterea peccata ita auferit, ut sint nulla prorsus.

XXXVIII. Imo, inquit Pererius, si reiecta sunt Deo, ergo non videntur à Deo. Si non videntur à Deo, nulla igitur sunt. Nam neque potest esse quicquam in rebus, quod à Deo non videatur, nec possunt videri à Deo peccata, quantum ad culpam, & non videri quantum ad poenam. Si enim mortifera peccata essent in homine, haberet Deus odio ea peccata, & hominem eiusmodi praeditum peccatis abominaretur, testante id Scriptura. Sapientia 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Plalm. 5. *Odisti omnes operantes iniquitatem.* Cumque Deus sit iustissimus, non potest peccata, si vere sunt in homine, non odisse, & debitis poenis destinare. Nimirum, non minus est alienum à Dei iustitia, flagitia & peccata hominum impunita dimittere, quam bonorum hominum virtutes, & benefacta, & merita irremunerata relinquere. Ergo, si peccata teguntur, hinc necessario concluditur, ea nullo modo esse in homine iustificato.

XXXIX. Distinguo, videri à Deo: Nam aliquando significat, aliquid cognitum esse Deo, & pertinet ad prouidentiam, cui nihil potest esse absconditum. Ac tum, cum dicitur videre peccata, significatur scire, ea esse, siue esse commissa. Sed alias, Deum videre peccata, est punire, teste, Augustino in Plalmum 31, *Tecta ergo peccata quare dixit? Vi non viderentur.* *Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Vi noueris, quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? Auerte faciem tuam à peccatis meis.*

XL. Hoc posito, facilis solutio. Nam illud, si non videntur, nisi la sunt, verum est, primo videndi sensu. Omnino enim, si omnia, quae sunt, videntur, oportet ea, quae non videntur, non esse. Sed falsum, hoc sensu non videri peccata à Deo. Inde enim David Psalmo quinquagesimo primo *מַלְאכֵי רָעָה מַלְאכֵי רָעָה מַלְאכֵי רָעָה*, *malum in oculis tuis feci*. Imo propterea Paulus, priori ad Corinthios quarto, *Nihil mihi conscius sum, sed non iustificatus sum*. Nimirum, quia non eo qui me iudicat, examinari me subtilius scio, inquit Gregorius, Moralium 1. cap. 8.

XL I. Sed idem verum altera notione videndi. Enimvero, quae tecta sunt, non videntur: at caritati tecta sunt multa peccata, teste Salomone, teste Apostolo: Ergo multa peccata non videntur à caritate? An autem absolute non videntur: an vero *non videntur*, id est, ut ne vlciscatur? Testis Iansenius in Proverb. 10. *Efficit ut quis delicta alterius etiam magna, non multum attendat ad exaggerandum ea, aut vindicandum, sed ut ea potius extenuet, obliuiscatur, è memoria deleat, ac condonet*. Videt igitur, inquam. Alias, quomodo non multum attenderet: quomodo obliuisceretur: quomodo condonaret? Similiter, Deus condonat, obliuiscitur, & sic operit. Ergo operiens videt, hoc est, videt, nec tamen videt ad puniendum.

XL II. Sed non possunt, inquit, videri peccata, quantum ad culpam, & non videri, quantum ad poenam. Imo ridicule: nam primum, poena nulla vniquam fuit peccati, sed peccatoris. Itaque, si nullum peccatum videt Deus, quoad culpam, quod non etiam quoad poenam: omnino nullum peccatum videt Deus quoad culpam. Nec in eo nullum momentum est: nostra enim disputatio peccatum considerat, & peccatorem distincte, cum inquiri, sitne illud in peccatore, necne. Secundo, culpa solet dici ipsa peccati admissio, siue reatus, obligans ad poenam, itaque rursus proprie nulla peccati culpa est, sed peccatoris. Quamquam alias etiam vsurpatur pro peccato ipso: sed, puto, parum ad rem hanc nostram, absurde enim diceretur videri peccatum, quantum ad culpam, si non distinguatur à peccato culpa. Cum igitur culpa sit peccatoris, quatenus admittit peccatum, nego, non posse videri peccatum, quantum ad culpam, vt non statim quantum ad poenam. Quia, quibuscumque condonatur, in iis necesse est videri, quantum ad culpam, alioquin non condonarentur: ad non videri, quantum ad poenam, quia peccatorum condonatorum nulla sit poena. Nam quod non imputatur, non puniuntur, ait Alcuinus in hunc Psalmum.

XL III. Concedo haberi semper odio mortifera peccata apud Deum: sed nego, semper odio haberi eum in quo illa sint. Paulus disertè contra docet ad Roman. 5. *Commendat suam caritatem Deus erga nos, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit*. En tibi aliquos in quibus erant peccata mortalia, quos tamen Deus amavit, & quidem maximo amore, & cui nullus amor comparari possit. Amavit Iacobum etiam in veteri, antequam quicquam egisset boni, imo tum cum in eo esset peccatum originis, ipsi Papistis, opinor, non negaturis.

XL IV. Esse iustissimum, omnes concedunt, qui esse Deum non negant. Iustissimum non posse non odio habere peccata, eadem suadet *αὐτὸς ἐπιτοια*, vt non haberemus Verbum Dei. Sed odio habentem, non posse non poenis destinare, absurde dictum de peccato ipso, quod nulli poenae destinari potest, falso dictum de peccatore, esse aequè alienum à Dei iustitia, hominum impunita dimittere peccata, quam hominum merita irremunerata dimittere, concedi potest, saluo iure nostro in disputatione de meritis. At hominibus peccata negamus dimittere per iustitiam, sed per misericordiam, quia factum, vt ne iustitia quidem sit violata, quando ne ipsa quidem quae condonantur, impunita dimittantur, in eum finem instituta hac, de qua disputamus, imputatione, quae fit, vt in Christo puniantur, quae nobis *ἀπὸ* dimittantur.

XL V. Bellarminus paulo aliter, & venus. Non potest Deus non imputare peccata, hoc est, habere hominem impium pro pio, nisi desinat esse impius. Sed hoc, inquam, quorsum? An quia nemo desinat esse impius, nisi nullum habeat inhærens peccatum? Atqui hoc manifestè falsum, alioquin nemo esset, nemo fuisset, nemo foret vnquam pius, præter vnum Dominum nostrum Iesum Christum. Quandoquidem de reliquis omnibus verum, *Si dixerimus nos peccatum non habere, decipimus nos*. Et, teste Augustino de Ecclesiasticis dogmatibus, capite sexto & octogesimo, *Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem*. Et sane quid Paulum dicimus? impiumne, an pius? At ipse se testabatur habere inhabitans sibi peccatum, septimo ad Romanos. Vere igitur Bellarminus dixit, non haberi à Deo iustum, nisi qui deserit esse impius. Sed nullum iustum, nisi qui nullum habeat peccatum, nemo dixit vnquam, qui non in Catharorum partes transitum fecerit.

XL VI. Audite nunc Raconisum Thrasunculum recentem. Discite, ait, hodie, si nondum scistis, posse quaedam peccata regi non remissa, & posse regi remissa. Paradoxum putauit exemplo probandum. Posse enim quempiam cicatricem tegere ne appareat, atque hanc tegere, non sanare. Posse medicum emplastro vulnus tegere, atque eadem opera curare, & tunc vulnus regi, atque curari.

XL VII. Magno scilicet pretio docet Thraso tanta, tam recondita mysteria, quae primus ipse vidit, aut vidisse putauit. Sed Thrasones tum mentuntur maxime, cum sua gesta confidentissime narrant. Teguntur, inquit, quaedam non remissa. Quid? apud Deum? Ingens, inquam, mendacium. Nam apud homines non negem: nam hi multa nesciunt, quae tamen re vera sunt. Sed Dei infinita scientia non potest ludibrio haberi, neque coram ea quicquam est absconditum. Itaque apud Deum nullum peccatum dici potest absconditum, nisi quatenus remissum. Sed vniuersaliter verum est, nihil regi, quod non sit. Neque vero illa ipsa cicatrix, quam medicus tegit & curat, ideo non est, quia curatur, contra potius non curaretur, si non esset. Quare omnino necesse est inesse, vt curetur, & tegatur.

XL VIII. Tertia phrasis, *Cui non imputauit Deus peccatum*: illa ipsa de qua contendimus. Est autem de imputandi verbo actum prius. Sed quia hic tum Propheta, tum Apostolus, vnam eandemque rem variis istis describunt phrasibus, manifestum est, tunc non imputari peccata, quum dimittantur, siue tolluntur, siue teguntur. Cum autem dimittantur, tollantur, tegantur, quae insunt: Ergo etiam non imputantur ea, quae vere insunt. Vergeo, Tom. III.

quia quae non insunt, ea nunquam quisquam dixit non imputari, sed quae non insunt, imputari; quomodo Christo dicta sunt nostra peccata imputata. Ab oppositis ergo, si quae non insunt, imputantur: Ergo quae insunt, non imputantur.

XL IX. Bellarminus opponit nonnullos ex Patribus locos. Ex Iustini dialogo cum Tryphone, *Beatus cui non imputabit Dominus peccatum, hoc est, cui poenitenti Deus peccata remittet*. Non, sicut predicatis, vosmet ipsos fallentes, & alij quidam vestri similes, asseuerant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum nouerint, non imputabit eis Deus peccata. Origenes lib. 4. ad Roman. magnum beneficium esse, cum peccata dimittuntur; maius cum teguntur, maximum cum non imputantur: tunc enim ita deleri, vt ne vestigium quidem appareat. Hieronymus in Psalm. 31. peccata remitti per Baptismum, tegi per caritatem, non imputari per martyrium. Augustinus, conc. 2. in eundem Psalmum, *Non sic intelligaris, quod dixit, peccata cooperata sunt, quasi ibi sint, & viuunt*. Et post, *Medicus tegat, vt curet, emplastro enim tegit*. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum, & Gregorius magnus in Psalm. 2. poenitentialem, eadem emplastri similitudine vtuntur.

L. Respondeo, nihil istis aduersum nos concludi. Iustinus optime dixit, non condonari peccata non poenitentibus, siue iis qui manent peccatores, sic enim paulo ante Judaeorum opinionem describebat, *καὶ ἀμαρτωλοὶ ὄντες, καὶ ἀπίστοι, καὶ ἀπειθεῖς ἀπὸ τοῦ θεοῦ: qui autem sunt peccatores, & infideles, & rebelles Deo*. Id autem & nos constantissime docemus, sed iidem scimus, etiam poenitentibus, atque ita non ἀμαρτωλοῖς, non ἀπίστοις, non ἀπειθεῖς hæ- rere adhuc peccata.

L I. Origenis violenta expositio est, vt tamen non inquiramus in eam, quid contra nos? Remitti peccata dixit, iis qui relinquunt malum: tegi, iis qui incipiunt bona facere, non imputari, iis qui ad perfectum venerint, ita vt omnis malitiae radix penitus amputetur, vt nullum inueniri possit vestigium nequitiae. Hoc si verum, ergo remittuntur peccata iis, in quibus malitiae radix non est prorsus amputata, in quibus inuenitur nequitiae vestigium. Ergo tum, dimittit etiam iis quibus hærent peccata. Et tamen qui illi sunt, in quibus ne vestigium quidem inuenitur nequitiae? Nisi forte concupiscentiam Bellarminus vult esse, ne radicem, ne vestigium quidem nequitiae. Denique, perfectionem fidelium in hac vita nullam esse scimus ex Augustino. Itaque necesse esset, hanc non imputationem in caelis demum fieri, ideoque abire extra cancellos nostrae disputationis.

L II. Hieronymus ille, quamquam non est Hieronymus, absurdissime, non imputari, reulit ad martyrium: Nisi forte absurdus potius Paulus, posterioris ad Corinthios quinto, *Mundum reconcilians sibi, non imputando iis peccata ipsorum*. Nam hinc sequeretur neminem reconciliari Deo, præter martyres. Bellarminus viderit. Nobis certe longe videtur consultius, cum Paulo absurde sentire, quam cum Hieronymo illo, id est, Beda, subtilissimas distinctionum strophas confectar. Et tamen, peccata remitti per Baptismum, tegi per caritatem, quid habet contra nos? Imo nos disertè profitemur, remitti per Baptismum, etiam quae inhærent, tegi per caritatem, etiam quae inhærent.

L III. Augustinus non negauit, peccata cooperari, quasi ibi sint, sed quasi ibi sint vt viuant. Idem & nos. Nam omne peccatum dimissum, vt remortuum, est, tum, quia neminem damnat, tum quia per poenitentiam occisum est etiam si inhæreat. Et inhærente, probat illa emplastri similitudo. Non enim, puto, emplastra imponuntur vulneribus, quae omnino euanuerunt.

L IV. Atque hætenus primum nostrum argumentum. Alterum nunc erit. Si nulla remissio est peccatorum, nisi non hærentium: Ergo nulla est remissio peccatorum. At hoc falsum: Ergo & illud. Assumptum manifestum, ex vtrorumque consensu, tum ex Euangelica doctrina, cuius initium à Baptismo, institutum in remissionem peccatorum.

L V. Consequenter probatur, quia nemo est hominum, cui peccata non hærent. Hoc probatur, primo, quia concupiscentiam omnes sibi habent inhærentem, quamdiu in hoc viuunt corpore, quod ne Papistæ quidem negant. At hanc esse peccatum, nos propria controuersia disputauimus. Secundo, in promptu est autoritas 1. Joan. 1. vbi non tantum legas. *Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, sed etiam, si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est*. Augustinus etiam, si quis is est potius Genadius Masiliensis, de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 86. *Nullus sanctus & iustus caret peccato. nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ humane viribus, sed propositi adiumento per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangent, etsi non reprehensione conscientia, certe mobilitate, & mutabilitate prauaricatoris naturæ*. Augustinus, 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 8. *Nunc ergo ei similes esse iam capimus primitias habentes Spiritus, & adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis*. Proinde, in quantum similes, in tantum regenerante Spiritus Filij Dei, in quantum autem dissimiles, in tantum filij carnis & seculi. Illinc ergo peccare non possumus, hinc vero si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus.

L VI. Tertium argumentum ab exemplo Pauli, cui certe remissa fuerunt peccata, nam & baptizatus est, & habuit Spiritum, & ipse profiteretur, se consequuntur esse misericordiam. Et tamen, ad Roman. 7. *ptolice & manifeste docet, in se habitasse peccatum, Quod perpetro, non agnosco, non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Nunc itaq; non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat. Noui enim non habitare in me, id est in carne mea, bonum: nam velle adest mihi, sed, vt quod bonum est perficiam, non assequor. Non enim facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago: Quod si id facio, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat*.

CAP. XVII.

De aliena Iustitia.

I. D nobis fuit tertium argumentum: nunc quartum. Omnis Iustificatio per alienam iustitiam, est imputatiua. At nostra iustificatio, est per alic-

nam iustitiam: Est igitur imputativa. Maior patet ipsa per se. Nam, quæ aliena est, non potest ipsa esse nostra per inhaerentiam, siue in forma modum. Et enim, quæ cuique inhaerent iustitia, hæc eius est, quod ne Papistæ quidem negare queant. Restat igitur sola minor demonstranda.

II. Paulus ad Roman. 5. *Sicut per unius offensam, in omnes homines ad condemnationem, ita etiam di. s. dixit quæ per unius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vita.* Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam, iusti constituuntur multi. Prioris ad Corinth. 1. *Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque, & sanctificatio, & redemptio.* Ierem. 23. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Iobona iustitia nostra.* Posterioris ad Corinth. 5. *Fecit, ut qui non noverunt peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.*

III. Quid obstat, quo minus sit res, & manifesta, & tuta? Enimvero obedientia singulorum non est unius obedientia, sed multorum, quare hæc obedientia, qua constituimur iusti, non est obedientia nostra. Si non nostra, ergo aliena. Quare, aliena iustitia necesse est nos iustos constitui, id est iustificari. Rursus: Si Christus ipse factus est nobis iustitia: Ergo non ipsi nobis. Tertio, si facti sumus iustitia in Christo, Ergo non in nobis. At si inhaerenter iusti sumus: Ergo ipsi facti sumus nobis, & in nobis iustitia.

IV. Aduersarij innoceam negant, & primum sua obiciunt, post nostra refutant argumenta. Raconisus bis arguitur. Primo. Si nostra iustitia non constet, nisi ex iustitia diuina: Ergo omnes æque sumus iusti. At hoc falsum. Jobi 1. *Nonne considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis ei in terra? Homo rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Apocalyp. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Secundo. Si gratia & iustitia deriuatur in animas nostras à gratia & iustitia Filij Dei: Ergo ipsa gratia, & iustitia Christi non iustificat nos. Antecedens probatur; Ioannis 1. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Consequentia patet, quoniam causa & effectum differunt.

V. Nihil hic est præter Sophismata *ἡ ἀπὸ τοῦ ὁμοιωτικῆς*. Iustitia, alia iustificationis, sanctificationis alia, itidem & gratia. In primo igitur, vel utraque pars enuntiationis eandem iustitiam nominat, vel alia aliam. Si utraque vnam, negatur assumptum, si iustitiam dicas iustificantem: nam hæc re vera æqualis est in omnibus iustificatis, neque sane vllam inæqualitatis notam quicquam proferat ex Scripturis, & totam Christi iustitiam æque singulis oportet imputari. In Jobo autem, & Apocalypsi, de sanctificatione sermo est.

VI. Quod si dicas, iustitiam hanc sanctificationis, negatur antecedens. Nemo enim nostrum dixit vnquam, sanctificationem nostram constare ex iustitia diuina, id est, ea ipsa quæ est CHRISTI. Tota enim est humana & nostra, id est, etsi extrinsecus adueniens, tamen nobis inhaerens formaliter, tanquam in proprio subiecto. Itaque à Paulo appellatur sua, ad Philipp. 3. & quidem opposita iustitiæ Dei, & quidem in iustificationis argumento.

VII. Si dicas, in antecedente Iustificationem, in consequente Sanctificationem, negatur consequentia. Nam, etsi amor paternus sit communis omnibus liberis, tamen nihil obstat, quominus aliis, atque aliis, plus minufve, aut ciborum, aut vestium distribuatur, & ita fit in omnibus causis, quoties effecta non sunt formalia. Nam, si ignis sit idem, oportet sane eundem calorem esse, atque adeo incendium, sed non colorem tamen, si idem in emendo pretium, non tamen tantundem agri. Itaque Paulus duodecimo prioris ad Corinthios, *Discrimina duorum sunt*, inquit, *sed idem Spiritus.*

VIII. In altero argumento, si iustitiam dicas iustificationis, negatur antecedens. Nam, iustitia hæc non deriuatur in animas nostras, sed manet in ipso Deo: quomodo amor patris in liberos, est ab ipso patre, quod alias monuimus. Locum etiam Ioannis negamus contra euincere: nam præter illud *ζῆλον*, male redditum per facta est, quod alias notamus, aliud est, gratiam factam esse per Christum, aliud, deriuari in animas nostras. Sic, quotidie princeps scelestis gratiam impertitur, quæ tamen nullo modo est in eis formaliter, aut inhaerenter.

IX. Sin gratiam dicas sanctificationis in nos deriuari, conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Vtrumque enim fit in nobis ex gratia Christi, ut, & iusti sumus inhaerenter, & iustificati imputatiue, siue, hoc materialiter, illud meritorie.

X. Venio ad nostras minoris probationes, quas suis technis varie conantur eludere. Nos excutiemus ordine. Primum locum, ex quinto ad Romanos, Bellarminus & Beccanus ita explicant, ut neque obedientiam Christi, dici formalem nostræ iustificationis causam, sed efficientem. Probant, quia opponatur obedientia Christi, inobedienciæ Adami, & sicut per hanc iniusti, ita per illam iusti dicamur constitui. Atqui per inobedientiam Adami non formaliter, sed efficienter, & meritorie constituimur iniusti. Ergo similiter per obedientiam Christi non formaliter, sed efficienter, & meritorie constituimur iusti.

XI. Sed hoc Sophisma iam disputatum est capite secundo. Hic ergo iterum, concedo & inobedientiam Adami, & obedientiam Christi, constituere nos & efficienter, & meritorie iniustos, iustosque. Nam & de illa nemo nos audiit negantes, & de ista ex professo disputauimus ipsi, Tomi huius libr. 9. Sed non imputari nobis vtramque, constanter negamus. Imo negamus, posse nos meritorie efficere siue iniustos, siue iustos, nisi prius imputentur. Nam, si non imputentur, nullo modo nostræ sunt, sunt enim actus singulares & indiuidui, itaque proprij eorum à quibus sunt, ac proinde personales. Actus autem proprios & personales, esse communes absurdum est, & contradictorium. Itaque oportet imputari: nam hæc communicatio non opponitur proprietati, quia ratio longe est alia. Itaque ipsum Adami peccatum, ipsam, inquam, illam inobedientiam, necesse fuit imputari posteris. Ac proinde etiam Christi obedientiam. Illam, quidem, quia Adamus is fuit in quo esse censetur vniuersum genus humanum per naturam. Ista vero, quia in Christo est vniuersa multitudo fidelium per gratiam. Inde factum, ut non tantum per Adamum peccatores facti sint omnes, sed etiam in ipso peccasse dicantur, quod longe aliud est.

XII. Dico igitur. Certum esse, & ab Adamo realiter iniustos omnes esse constitutos homines, & à Christo omnes fideles realiter iustos. Sed nego, id ab Apostolo nunc considerari, qui causas potius inquirat primas, tum illius condemnationis, tum illius iustificationis. Nam & *ἡ ἁμαρτία* considerat iam tum in Adamo, non tamen Adamo peculiare, sed pertinet ad omne genus humanum, ut sensus sit, iam tum cum peccauit Adam, damnatum fuisse vniuersum genus humanum, siue factum reum inobedienciæ in Deum. Vnde etiam apud Augustinum, dicitur peccatum originis, pœna primi peccati. Quomodo autem pœna esset, nisi illud ipsum primum peccatum imputaretur?

XIII. Similiter in Christo ipso vniuersa fidelium multitudo dicitur facta, siue iustificata, siue, quod idem est, ipse CHRISTVS factus omnibus iustitia, siue, omnes in CHRISTO facti iustitia. Non quia regenerati per Spiritum sanctum, translati sumus in vitam meliorem, sanctiorem, digniorem Deo, etsi hoc etiam vere sumus, sed quia illa ipsa CHRISTI iustitia sit nobis communicata per gratiam, tam certo, ut certo sit nostra, nec minus certo, quam si ipsi præstitissemus, qui non potuimus. Breuiter, vtrumque verum, & iustitiam Christi esse causam efficientem, siue meritoriam nostræ iustitiæ, scilicet inhaerentis, quia conciliauit nobis Dei caritatem, quæ effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et esse rursus siue formalem (ut Bellarminus) siue materialem (ut nos malumus) causam nostræ iustificationis, quæ illam inhaerentem iustitiam necessario præcedit.

XIV. Ad secundum, cum dicitur Christus iustitia nostra, respondet Beccanus, non quæri, an Christus sit nostra iustitia, sed, an iustitia Christi sit nostra iustitia. Illud enim concedi etiam à Papistis, hoc vero negari.

XV. Puerilis responsio: quia idem significat, Christus est iustitia nostra, & iustitia CHRISTI est nostra. Nimirum, quia non potest id dici de eius persona, cum iustitia nulla sit persona. Non etiam de aliis eius perfectionibus. Nam præterquam quod ridicula phrasia esset, Christi (ut hanc exempli gratia nominem) potentia, est iustitia nostra; habemus etiam iustitiam designatam in priore loco: *di. s. dixit quæ per unius iustitiam*: & certe, si illud ambigitur, *di. s. dixit quæ per unius obedientiam*. Cum igitur constet, nostram iustificationem peti ab obedientia, siue iustitia Christi, certe necesse est Christum iustitiam nostram dici, propter eius iustitiam, itaque sensum esse, Christi iustitiam esse nostram iustitiam.

XVI. Rursus negant consequentiam. Primo Costerus. Sed iste suo more præstigiator, hanc nobis imponit: Christus est iustitia nostra. Nulla est ergo alia iustitia in nobis. Quod quidem môstrum est calumniæ, sæpe refutatum, ut ne nunc detineat diutius.

XVII. Sed consequentiam infirmant, aliter Bellarminus, aliter Beccanus. Iste: Quia eodem sensu sit & iustitia nostra, & sapientia, & redemptio. At non imputatiue sapientia, & redemptio. Ergo neque iustitia. Quomodo igitur? Effectiue, ut cum, Psalmo 18. *Diligam te, Domine, fortitudo mea. 71. Tu es patientia mea Domine. Vicesimo septimo, Tu es illuminatio mea, & salus mea.*

XVIII. Sed primum, ille falso supponit esse factum eodem modo & sapientiam & redemptionem, & iustitiam. Cur enim necesse sit? Non enim obstat *τὸ ἕρως*, quominus *τὸ ἕρως* suas retineant differentias. Ut ergo omnibus commune sit, Christum esse nobis factum: at potuit aliter fieri sapientia, aliter redemptio, aliter iustitia. Nam omnium Creator Deus, sed alia tamen hominis creandi ratio, alia angelorum, alia reliquorum. Rursus, omnium Deus Saluator hominum, prioris ad Timotheum quarto; præsertim fidelium: nempe, quia etsi omnes seruet, tamen alios tantum in seculo, alios vero & in cælis. Sicut ergo etiam si tum infidelium, tum fidelium Saluator Deus sit, tamen nemo concludat, eodem modo esse vtrorumque, sic, etsi Christus dicatur nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, tamen non concludendum vno eodemque sensu omnia dici.

XIX. Et vero res ipsa loquitur. Actiue inquitur. Id est, effecit nos sapientes, iustos, sanctos, redemptos. Esto, inquam. Sed eodem modo omnia: Qui potest? Nam sapientia, iustitia, sanctitas, virtutes sunt: at redemptio non est virtus. Qui possunt igitur omnia eodem modo constare? Deinde, fecit iustos, id est, si credimus Papistis, operantes iustitiam. An etiam redemptos, id est, operantes redemptionem? Viderint, qui Christo concedunt hoc saltem, ut sit solus Mediator redemptionis.

XX. Fateor tamen, esse aliquam generalem rationem, secundum quam omnia illa dicatur nobis factus Christus, ac proinde eodem sensu. Sed is sensus non obstat specialibus differentiis. Sicut quum se Paulus dicit esse factum omnibus omnia, 9. prior. ad Corinth. tamen aliter factus sub lege, aliter sine lege, aliter infirmus. Quare, etsi hoc modo factus sit nobis eodem sensu sanctificatio, & iustitia, tamen aliter sanctificatio, aliter iustitia, nimirum vel inhaerenter, vel imputatiue.

XXI. Et hoc quidem tanto certius, quanto distinctius posita iustitia, & sanctificatio: nam iustitia inhaerens, eadem est sanctificatio; nomine tantum diuerso: quia utraque in habitu, utraque in operibus iustis, quæ eo ipso quod iusta, sunt etiam sancta, in operibus sanctis, quæ eo ipso iusta sunt, quo sancta. Prioris ad Thesalonicenses quarto, *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque vestrum suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum morbo cupiditate, sicut gentes quæ non nouerunt Deum, neque opprimat, aut circumueniat in negotio fratrem suum: nam vltor est Dominus omnium istorum, sicut ante diximus vobis, ac testificati sumus: non enim vocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem.* Ne igitur Apostolo *πῶς ἂν ἁγιασθῶμεν φλυαρίαι*: neque enim in tam conciso enunciato, verisimile est voluisse *ἁγιασθῶμεν* bis idem dicere, seiungenda est à sanctificatione iustitiæ, & quia sanctificatio est iustitia inhaerens, accipienda iustitia pro ea, quam nos imputaram dicimus.

XXII. Quid multis opus est? Bernardus à nobis stat, Sermone vigesimo secundo in Cantica, non tantum disparans res toridem quot vocabula: *En quatuor unguenta assignata habetis, primum sapientia, secundum iustitia, tertium sanctificationis, quartum redemptionis: sed etiam modos distinguens, Factus est nobis à Deo sapientia, docens prudentiam, & iustitia, delicta donans: & san-*

Sanctificatio, in exemplum temperantia, continenter vinens, & redemptio, in exemplum patientia fortiter moriens. Et post, Vbi vera iustitia, nisi in Christi doctrina? Vbi vera iustitia, nisi in Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Quid Idemne modus, docere, donare, exemplum præbere? Ergo Bernardus, contra Beccani mentem, non eodem sensu, sed aliter, factum nobis dixit Christum esse iustitiam, aliter, sapientiam, aliter, sanctificationem, & redemptionem. Et quidem iustitiam, sicut nos, per imputationem: nam donare delicta, imputatio est, misericordia imputatio est.

XXIII. Et tamen non negemus factum effectiue, factum meritorie, sapientiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem. Certe enim ille nobis meritis est à Deo, quicquid gratiæ aut habemus; aut habere possumus. Sed nimirum meruit, vt & inhærenter sanctificemur, & imputatiue iustificemur. Nec tantum est meritis, sed etiam efficit, nimirum vnus idemque cum Patre Deus. Non effectiue tamen iustitia, quomodo effectiue sanctitas, quia sanctitatem quidem efficit in nobis, tanquam inhærentem qualitatem: at iustitiam tanquam imputatam.

XXIV. Hactenus Beccanus, à quo Salmeto non discedit disputatione ad Galatas septima. Nund Bellarminus longe aliter, Recte, inquit, dicitur nostra iustitia, non quod iusti simus ea iustitia qua est in CHRISTO nobis imputata, sed duabus aliis de causis. Primum, quia Christus causa est efficiens nostra iustitia. Deinde, quoniam satisfecit pro nobis Patri, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos iustificat, vt nostra satisfactio & iustitia dici possit. Nam etiam si per iustitiam nobis inhærentem, vere iusti nominemur & simus: tamen non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris, & poena æterna, sed est illa iustitia inhærens cum remissione culpe, & sempiterna poena, effectus satisfactionis Christi, qua nobis iustificatione confertur & applicatur, & hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi iustitiam, & merita, cum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfacissemus, modo non negetur in nobis præterea iustitiam inhærentem, eamque veram, & absolutam esse iustitiam, cui iusto Dei iudicio non debeatur poena, sed gloria.

XXV. Enimvero, inquam, magna vis est veritatis, quæ se non patiatur à se ipso egredi, etiam apud aduersarios. Certe, si pauca vel demas, vel commode inter preteritis, nihil est in hac Bellarmini solutione, quod non libenter admittamus. Nam, quid illud est, quod iustitiæ inhærenti dicit iusto Dei iudicio deberi gloriam? Atqui deprecatur omnes iustificati iudicium Dei, & ad misericordiam cōfugiunt solā. Deinde, merita sunt à nobis iam olim profligata. Hoc ergo tollendum, vel saltem ita molliendum, vt significet, tum, cum iudicabitur inter oues & hircos, deberi iustitiæ inhærenti, non ex merito, sed ex mere gratuitis promissionibus, & vitam æternam, & in ea gloriam.

XXVI. Quod attinet ad duas illas causas, non video, cur non concedi debeant. Sed miror Bellarminum tamen negare, nos iustos esse ea iustitia, quæ in CHRISTO est nobis imputata. Nam viderit ille, quo sensu hoc interpretetur: at nos certe nullo alio, quam, imputari nobis eam satisfactionem, qua pro nobis Patri Christus satisfecit: atque ita communicari donarique, vt nostra dici possit, nimirum, quod inde fiat, vt nec poenas daturi simus, & habituri vitam æternam, haud secus, ac si nunquam peccassemus, imo legem impleuissemus, quando quidem pro nobis Mediator & poenas dedit, & implevit legem.

XXVII. Nos ergo sic statuimus, Christum dici iustitiam nostram, vt tamque ob causam, & quod Christus sit efficiens causa iustitiæ nobis inhærentis, & quod eius satisfactio, siue meritum nobis imputetur. Atque ita Bellarmino consentimus, sed addimus præter Bellarminum, præcipuam & propriam, atque adeo primam esse causam hanc, quam ille secundum loco numerat, nimirum, quia primo & ante omnia nos oporteat conciliari Deo, nec possumus tamen, nisi iusti, quod ipsum esse nequeamus nisi per iustitiam vel imputatam, vel inhærentem. At non hanc, quia absurdum sit nos per inhærentem iustitiam conciliari, quam tamen nullam habeamus, nisi postquam sumus conciliati. Ergo per imputatam, vt volebamus.

XXVIII. Superest postremus locus, qui docet, nos fieri iustitiam in Christo. In quo magnum pondus. Quia non tantum non dicimur facti iustitia, sed etiam Christus factus peccatum. Vnde elucet vis phraseos Apostolica. Nam Augustinus Enchiridij capite quadagesimo primo, Ipse ergo peccatum, vt nos iustitia, nec nostra, sed Dei sumus. nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati in qua crucifixus est, demonstrauit. Et altera explanatione in Psalmum vicesimum secundum, Longe à facie mea verba delictorum meorum. Quorum delictorum, de quo dictum est, Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? Quomodo ergo dicit delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiam faceret? Profecto Christus non est factus pro nobis peccatum per inhærentiam, sed duntaxat per imputationem. Chrysostomus τὸν αὐτὸν ἑαυτοῦ ὡς τὸ ἀμαρτῆας ἐποίησεν, ὡς τὸν ὡς ἀμαρτῶν καὶ τὸν ἑαυτοῦ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ὡς ἡμεῖς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τὸν δὲ πατέρα εἰν, Eum qui esset ipsissima iustitia, fecit esse peccatum, hoc est, tanquam peccatorem damnari permisit, tanquam maledictum mori. Oecumenius. τὸν μὲν γὰρ τὸ ἀμαρτῆας φησὶ, ὡς τὸν ὡς ἀμαρτῶν καὶ τὸν ἑαυτοῦ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, τὸν ἰδὸν ὡς τὸν ἀμαρτῆαν ἐποίησεν, ὡς τὸν ὡς ἀμαρτῶν καὶ τὸν ἑαυτοῦ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, Eum qui non nouit peccatum, id est, qui est ipsissima iustitia, & sanctitas, Filium suum Pater fecit esse peccatum, hoc est, tanquam peccatorem & fontem suum crucifigi. Theodoretus, Cum à peccato liber esset, mortem peccatorum subiit, vt hominum peccatum solueret, & id vocatus, quod nos eramus, nos fecit id quod erat. Iustitia enim nobis opes donauit.

XXIX. Responsantes, Bellarminus, & Beccanus, negant factum peccatum, siue illi imputata nostra peccata, quasi ipse illa fecerit & iniquus haberi possit: sed solum imputari illi, quoad debitum satisfaciendi sponte susceptum, ex quo non peccator, sed iustus dici mereatur. Itaque quamuis sit verum, iustitiam Christi nobis imputari quoad satisfactionem, quam pro nobis præstitit, tamen non ab ea nos iustos, & sanctos censeri.

XXX. Sed illud quid est, quasi ipse illa fecerit? Hicce sensus, non dictum esse peccatum, eo quod ipse fecerit peccatum? Prolixè damus, qui pro-

lixè credimus, non nouisse peccatum, testante Apostolo. Et vero; si fecisset ipse peccatum, quid opus erat illi nostra imputari? Imo quid opus erat illi fieri peccatum. Nam, etsi nos demus poenas, quia tamen peccatum ipsi fecimus, nunquam dicimur facti peccatum. An igitur sensus est potius, factum esse peccatum, ac si peccata nostra ipse commisset, cum tamen nulla commiserit? Hoc cur negant Sophistæ? Nam certe Chrysostomus expressit, & Oecumenius, & quomodo aliter potest? Certe si imputantur, alterutrum necesse est, vel quia fecerit, vel quasi fecerit. Non autem illud: Ergo istud. Tertium nemo sanus videt.

XXXI. Atqui ex eo, ille non peccator, sed iustus dici meretur. Ita est inquam. Nam nec nos ex eo, quod imputetur nobis Christi iustitia mereamur iusti dici, sed peccatores. Neque enim aut nobis imputaretur iustitia, si mereremur dici iusti, neque illi peccata, si mereretur dici iniustus. Sed etsi ita est, tamen ex eo illo reputatus est peccator, & nos iusti reputamur. Nempe, quia vtrique reputamur, quod non mereamur, sed præter meritum: nam si mereremur, non reputaremur, sed vere essemus. Itaque nullo modo infirmatur argumentum.

XXXII. Sed rursus Beccanus, & Justinianus: Factus est peccatum, tum quia participauit carnem similem carni peccati, tum, quia factus est hostia pro peccato, prout interdum nominatur in lege peccatum pro hostia. Christus ergo, inquit, factus est pro nobis peccatum, id est assumptis similitudinem carnis peccati, vt fieret victima pro peccato. Sic & nos efficiamur iustitia Dei, quia accipimus iustitiam inhærentem, quæ est similitudo quædam, & effectus iustitiæ Dei.

XXXIII. Falsum est, dici factum peccatum, siue, quia assumpsit carnem similem carni peccati, siue, quia assumpsit vt fieret victima. Sed verum, quia factus est victima. Etenim dicitur factus peccatum, secundum humanam naturam. Facile probatu, quia secundum eam solam passus est, non autem secundum diuinam. Atqui humana natura non assumpsit carnem, imo fuit ipsa caro, prout carnis nomine satis notum in Scripturis totum hominem, imo totam hominis naturam designari.

XXXIV. Verumtamen concedimus propterea dici factum peccatum, quia factus est victima pro peccatis nostris, nec nos sane aliud volumus. Hæc enim phrasis necessario significat hanc imputationem peccatorum nostrorum, quam dicimus. Nam, quid aliud est, imputare alicui peccata aliena, nisi ab eo sumere poenas debitas iis peccatis? Sic sane Paulus, Si quid lesit re, aut debet, hoc mihi imputato. Ego Paulus scripsi meo manu, ego dependam. Nimirum, si imputasset Philemon Paulo, exegisset ab eo solutionem: quæ poena est debiti. Nec poterat aliter. Et in omnibus hostis pro peccato, solennis ritus erat, vt imponerentur manus capiti, cuius significationem explicat Moses, Leuit. 16. in capro Azazel, Imponetque Aaron ambus manus super caput hirci viui, & confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israel, & omnes prauaricationes eorum, cum omnibus peccatis eorum, & ponet illa super caput hirci, ac emittet illum per manum viri preparati in desertum, & portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem. Hic Lyranus, Quia rogabat Dominum, vt poenam debitam pro illis peccatis vellet transferre in hircum illum, qui emittetur in desertum, vt ibi relinqueretur deuorandus pro hominibus morte dignis pro suis peccatis.

XXXV. Itaque ridiculus Beccanus est, qui assumptæ humanæ naturæ comparat assumptionem inhærentis iustitiæ, cum tamen Paulus hanc potius comparat assumptis peccatis. Atqui, vt dixi, assumptio naturæ, aliud est ab assumpto peccato, etsi verum, illam assumptam esse, vt hoc assumeretur. Est enim cuius manifestum, aliud esse id quo fit, aliud vero id quod fit propter illud. Natus est procul dubio Christus, vt moreretur, nec tamen eius natiuitas, mors fuit. Imo, conceptus, vt nasceretur, & tamen distans, conceptio & natiuitas. Denique, non sic nos facti sumus iustitia in Christo, quomodo Filius Dei factus caro, sic enim nunquam loquitur Scriptura, nunquam vltus Theologus, sed, sic facti iustitia, quomodo ille factus peccatum, id est, hostia pro peccato.

XXXVI. Bellarminus tribus modis exponi posse notat, quomodo facimus iustitia Dei. Primo, vt hæc sit iustitia ipsa diuina, quæ est in Christo. Sic dici nos iustitiam non in nobis, sed in illo, quod ipse sit caput, nos membra, & quod conuenit capiti, conueniat membris, non vt sunt distincta à capite, sed, vt faciunt vnum, & sunt vnum cum eo. Sic ergo nos dici iustitiam in illo, non formaliter, sed, quia membra eius, contra, ipsum dici peccatum, non formaliter, sed quia caput nostrum. Secundo, vt intelligatur iustitia nobis inhærens, quæ Dei sit, quia data à Deo. Tertio, vt iustitia Dei dicatur per tropum, quia est effectus & imago iustitiæ Dei, & Christus peccatum, quia hostis pro peccato.

XXXVII. Sed tertium membrum idem est, quod nos iam exposuimus in Beccano. Secundum ridiculum est, exponit enim, cur iustitia Dei dicatur, quod nos tamen non virgemus, qui argumentum sumimus ab eo potius, quod & dicamur facti iustitia in ipso, & facti, sicut ille factus peccatum. Quamquæ, cur necesse est intelligi iustitiam inhærentem, quia data sit à Deo? Nam illa etiam ipsa imputata, quam nos dicimus, data est à Deo, vnde Paulus dicebat, factum esse nobis à Deo iustitiam, i. ad Corinth. 1.

XXXVIII. Sed primum membrum, agnoscimus verum, nisi quod importune iustitiam Dei, interpretetur iustitiam diuinam, quæ est in Christo, si tamen illam intellexit, quæ essentialis est Deitati. Nam hanc quo iure nominarem in hoc de iustificatione tractatu? Sed si diuinam, propter dignitatem personæ, nihil est quod regramus. Itaque, nostram in Bellarmini verbis mentem læti agnoscimus, & optamus, vt vere sic sentiant Jesuitæ, sic sentiant omnes Papistæ, nimirum, propterea nos factos in Christo iustitiam Dei, quod Christo sumus incorporati per fidem, adeo vt ille sit caput, nos membra, & quæ capitis sunt, eadem membrorum sint, & contra. Itaque, neque Christum formaliter peccatum, siue peccatorem, neque nos formaliter iustitiam, siue iustos, sed tantum imputatiue, quatenus quæ peccata nostra sunt, qui Christi membra sumus, censentur esse Christi, quia caput est nostrum, & quæ iustitia Christi est capitis nostri, censetur nostra, quia membra sumus eius. Hoc si vere, si ex animo confiteatur Bellarminus, paratos nos habebunt, sed, & ipsas dicitur nos orias. Cur enim gratis lites seramus?

CAP. XVIII.

Peccator iustificatur per imputationem.

I. Quartum argumentum. Nullus peccator manens peccator potest aliter iustificari, quam per imputationem. Alii omnes fideles manent peccatores, quamdiu hic viuunt: Ergo non possunt aliter iustificari, quam per imputationem. Maior pars patet, quia peccatum & inhaerens iustitia opponuntur directe. Itaque, quomodo non potest simul quicquam esse eadem ratione bonum & malum, obscurum & lucidum, sic neque quisquam inhaerens iustus & peccator.

II. Minor autem probatur vniuersa illa disputatione, qua olim confectimus, sanctificationem esse imperfectam, neque dari posse vllum omnino hominem, praeter Christum, in quo non remaneat, siue, vt loquitur Paulus, non habitet peccatum.

III. Beccanus negare videtur minorem, eamque impugnat dupliciter. Primo, Si Christi pretioso sanguine vere lauamur & sanamur a peccatis nostris, si iustitia & sanctitas ex Christi merito per Spiritum sanctum nobis infunditur, certe non manemus peccatores, & iniusti, sed efficiamur mundi, iusti, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum sit. Psalm. quinquagesimo primo, *Asperges me hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.*

IV. Sed minorem alias solide probatam, non oportet iterum nunc demonstrare. In obiectione distinguo. Nam, peccatores dicuntur interdum, in quibus regnat peccatum: Psalm. quinquagesimo, *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas?* Matth. 26. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Interdum, in quibus tantum inhabitat. Luc. 18. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et 15. *Gaudium erit in caelis super vno peccatore poenitentiam agente.* Augustinus, expositione in Epistolam ad Galatas, *Non enim iam regnat peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desiderio eius, quamuis habitet in eodem mortali corpore peccatum nondum extincto impetu consuetudinis naturalis. Aliud est enim non peccare, aliud non habere peccatum. Nam, in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desiderio eius. In quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum.*

V. Hoc posito, concedo nos lotos, non manere peccatores priori notio, quia, quocumque iustificat, eodem renouet Deus. Verum, hoc quid ad rem? Nam iustificatio per inhaerentiam, non hoc tantum postulat, vt non regnet peccatum, sed vt omnino non iustit, ipsi Papistis testibus. Sed, si peccatores dicat posteriori definitione, negat consequentia. Imo, Augustinus eadem expositione ad Galatas, & eodem loco, *In quo non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiam si ex multis partibus posse efficit, ex omni tamen parte non nisi in resurrectione carnis, atq; commutatione sperandum est.*

VI. Neque opponi debet Dauid. Nam ille aspergi & lauari non alio sensu dixit, quam vt remissionem diceret, non vero inhaerentem iustitiam. Lauare enim ita vsurpatur. Quis enim neget, qui Baptismum, quid sit, sciat? In eo enim lauantur, hoc est, dimittuntur peccata, etiam infantibus, quibus inhaerens illa iustitia non competit.

VII. Sed contra Beccanus? Non valet, inquit, id effugium, non enim Dauid dixit, *Asperges Christum, & mundabor in Christo, lauabis Christum, & in Christo dealbabor.* Sed ita potius, *Asperges me, & in me mundabor, lauabis me, & in me dealbabor.* Hoc confirmant verba sequentia, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

VIII. Imo, nihil reperi potuit stolidius. Nam, quid illud est, *Asperges Christum, lauabis Christum?* Mirer, si, ex ceptis Jesuitis, fortasse etiam in Jesuitis, vno excepto Beccano, potuerat quisquam tam monstruose delirare. Aspergi, lauare eum oportet, qui habet peccatum, non vero qui non habet, & propter quem remittitur habenti. Sed eum, cui remittitur propter Christum, oportet aspergi, lauare. Oportet, inquam, lauare & aspergi hyssopo, id est, Christo. Augustinus in ea verba, *Apprehende & in radicem dilectionis petram tuam. Esto humilis in humili Deo tuo, vt sis excelsus in glorificato Domino tuo. Asperges hyssopo humilias Christum mundabit.* Quid ad me, si non dixerit Propheta, *Asperges Christum, dummodo dixerit, asperges me Christo tuo? Nam hoc est, mundari in Christo, dealbari in Christo.*

IX. Illa verba, *Cor mundum crea in me Deus*, non magis nocent. Nam, quia a Dei misericordia geminum nobis est beneficium, iustificatio, & sanctificatio, vtrumque Dauid postulat, iustificationem per lauacrum, sanctificationem per cor mundum, nimirum, vt non tantum ei peccatum patrum remitteret, sed etiam efficeret in posterum, vt ne amplius recederet ab officio. Sicut docuit Christus peccati, primo, *Remitte nobis debita nostra*, deinde, *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo.*

X. Rufus Beccanus. Miror Caluinum non aduertisse, ex hac sua doctrina sequi, fideles similes esse sepulchris dealbatis, quae intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Similes virginibus fatuis, quae non habent oleum iustitiae in lampadibus suis, existimantes alienum oleum sibi sufficere. Similes haedus foetentibus, qui ouium numero a pastore censentur. Similes lupis, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt ferae rapaces. Quid enim aliud est homo iustificatus apud Caluinistas? Interius peccatis ac flagitiis plenus est, oleum iustitiae & sanctitatis non habet, hirci instat foetorem flagitiorum exhalat, contumelias & conuitiis, non aliter quam lupus mordacitatem ostendit, & tamen, quia innocentis agni vestimento se texit, inter agnos, si Diis placet, reputari vult, quia stulte praesumit alienum oleum sibi profuturum, de acquirendo proprio sollicitus non est, quia exteriorem parietem veste candida obduxit, internam spurcitiā latere posse existimat.

XI. Verum, longo distat intervallo quid ira effutiat, quid iudicium dicet. Ira furor est. Furor, non sinit esse hominem veri competentem. Itaque, non quid sit, pronuntiat, sed quid videatur, exagitat. Et furori, ac proinde irae videntur omnia quae non sunt, potius quam quae sunt. Is fons est earum calumniarum, quas hic Beccanus euomuit. Enimvero quorsum illa? Interius peccatis ac flagitiis plenus, oleum iustitiae & sanctitatis ne n habet, foetorem flagitiorum exhalat? Aut quid ille dirius potuit in Nicolaitas, aut Borboritas, similemve Compeccat te Deus, Satanas, qui tam odiose eos traducis,

quorum neque doctrinam conuincere potes, neque adeo sanctitatem imitari.

XII. Enim vero, neque intus peccatis, ac flagitiis pleni sunt, in quibus habitat peccatum, sed in quibus regnat. Non regnat autem in iustificatis, sed inhabitat tamen, teste Paulo, etiam de se loquente. Nec nullum habent proptium in lampadibus oleum iustitiae, qui membra sua sistant a peccato, sed iustitiae, nec sunt hirci foetentes, qui corpora sua sistant Deo hostiam viam, sanctam, acceptam Deo. Neque intus sunt lupi rapaces, qui cum omnibus pacem habent, quantum in se est. Et tales sunt quicunque iustificati, etiam alij plus, alij minus, pro vario profectu. Quid ergo? Nempe, hoc tantum, non in eo iustificati apud Deum, hoc est, non quia tales sunt, a cepti sunt Deo, sed, quia accepti sunt Deo, ideo tales fiunt. Hoc impugnet nugator, si non impugnet, taceat nugator, neque in viros bonos esto iniuriolus.

CAP. XIX.

Patrum sententia.

I. EX Patribus non pauca habemus colligere, ex quibus vix tria Bellarminus dignatur enumerare, solerter suo more dissimulans ea, quibus non sufficit soluendis. Nos necesse est non deesse causae tam bonae. Incipiam itaque ab illis tribus, tum reliqua subiiciam.

II. Ambrosius, conc. 3. in Psalm. 118. *Non habet in retributione quod desperet, quia Dominus Iesus venit mundum saluare, non perdere. Ideoque immemor est iniuria, memor gratiae, sicut in propheticis libro testificatur ipse, dicens, Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto, & iudicemur, dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Quicunq; ergo dicit iniquitates suas Deo, iustificatur, & quicunq; iustificatur, retributionem non timet, sed exposcit.* Manifestus est locus. Nemo iustificatus confitendo peccata sua Deo, iustificatur inhaerente iustitia. At fideles iustificati confitendo peccata sua, non igitur per inhaerentem iustitiam. Assumptum patet ex Ambrosio: Maior sua luce manifesta est: nam inhaerenti iustitiae opponitur peccatum. Et ipsi Papistae tradunt, iustificari per inhaerentem iustitiam, nihil aliud esse, quam omnino nihil habere residui peccati.

III. Bellarminus responderet, iustificationem esse remissionem peccati, & remissionem peccati esse iustificationem, sed remissionem, non esse solam liberationem a debito luendi poenam, sed ipsius iniquitatis & maculae in animo residentis per infusionem gratiae, & iustitiae mundationem.

IV. Nos vero quod dat admittimus, recipiari inter se iustificationem, & remissionem peccatorum, & opponimus ipsi Bellarmino disputanti cap. 6. iustificationem non constare sola remissione peccatorum, quod si est, tum necesse est latius iustificationem patere quam remissionem, ac proinde, non vt remissionem esse iustificationem, sic iustificationem esse remissionem. Sed hoc ipse viderit Porro, quod subiicit, remissionem esse mundationem animae per infusionem gratiae, alias negauimus, & excussimus, vt nihil necesse sit eundem laborem renouare.

L. Augustinus, 19. de Ciuitate Dei. cap. 27. *Pax nostra propria, & hic est cum Deo per fidem, & in aeternum erit cum illo per speciem. Sed hic, siue illa communis, siue nostra propria talis est pax, vt solatium miseriae sit potius quam beatitudinis gaudium. Ipsa quoq; nostra iustitia, quamuis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.*

VI. Bellarminus negat excludi perfectionem virtutum, sed praeferi remissionem, quasi diceret Augustinus, iustitiam constare, partim hac remissione, partim illa perfectione, sed magis remissione. Probat, primo, quia dicit esse veram iustitiam, propter finem veri boni, vnde elicit, non esse imputatam, sed inhaerentem, deinde, quia paulo post addat, *Hac itaq; in vnoquoq; iustitia est, vt obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo vel resistendo, atque ab ipso Deo petatur, & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio p. soluantur.* Porro, geminam, esse causam, cur ita sit loquutus Augustinus. Vnam, quia peccata perfecte remittantur, vt nihil remaneat, quod habeat rationem culpae: at virtutes infuse, magis ac magis perfici debeant. Alteram, quia remissio semel facta non eget infusione noua virtutum: at virtus semel infusa, egeat quotidie noua reuisione, etiam non letalis peccati, saltem venialis.

VII. Non excludi virtutes, nos agnoscimus, qui scimus, & alias testati sumus Augustinum vno iustificationis nomine vtramque partem comprehendere, id est, tum quam nos proprie iustificationem dicimus, tum sanctificationem. Et haec non est *σδδλογο* Jesuita. Sed non attendit, quae sit vis comparationis. Nam haec manifeste praefert peccatorum remissionem, perfectioni virtutum. Praefert autem? Mollius dixi. Fortius Augustinus, iustitiam nostram constare potius remissione peccatorum, quam perfectione virtutum. Atqui Papistas, aut sibi renuntiare oportet, aut Augustinum auerfari. Nam, illi potissimas omnino partes tribuunt perfectioni virtutum. Mentior? an id ipsum est, quod diligenter vrgent, iustificari, vt calefieri, frige fieri, significare infusionem qualitatis, & inde denominari? Quis enim neget, in calefactione praecipuas partes esse caloris, in frige factione frigoris? Est enim profecto in vtraque geminus terminus, a quo, quae qualitas est remouenda, & ad quem, quae inducenda. Sed qui calefactionem magis dixerit constare remotione frigoris, quam inductione caloris, quis fuit?

VIII. Imo, Concilium Tridentinum, vnicam definit formalem causam, iustitiam, qua nos iustos Deus facit. Hoc, quae so, comparemus cum Augustino. Nam, Augustinum loqui de formali causa, nemo dubitat, credo, non enim potest iustitia nostra aliter sonare. Potestne vnicam formalem agnoscere, is qui & remissionem peccatorum, & perfectionem virtutum infuitat? Vide quantum sit, vt *2^a 2^a 2^a* Augustinum inter, & paternos Tridentinos. Isti iustitiam inhaerentem, id est, perfectionem virtutum, vnicam statuunt formam nostrae iustitiae, itaque negant remissionem peccatorum esse formam nostrae iustitiae. At Augustinus, primo, iustitiam nostram constare, id est, iustos nos esse docet, tum remissione peccatorum, tum perfectione

atione virtutum, deinde, longe remissionem præfert perfectioni, id est, iustos nos esse statuit, potius per illam remissionem, quam per istam perfectionem.

IX. Hæc vero Augustini sententia, prorsus nostra sententia est, si rem attendas potius quam verba. Nos enim non negamus, iustitiam nostram aliquo modo constare iustitia inhærente, quod sæpe testati sumus, nimirum, quia necesse sit nos mori peccatis, & vivere Deo. Sed iudem iustitiæ proram & puppim constituimus in remissione peccatorum: nimirum, quia hæc nos apud Deum constituit iustos, quod perfectio virtutum non potest. Quid ergo discriminis est? Nimirum, quia, ut duas formales causas, ita duas distinguimus iustitias, quia absurdum sit, vnius eiusdemque rei geminam formam esse: Itaque, iustitiam nostram, quatenus constat remissione peccatorum, cum Paulo iustitiam appellauimus, eam autem, quæ perfectione virtutum, sanctificationem appellauimus. Vna hæc ergo verborum distinctione dissimiles sumus Augustino, ad cætera cuncta gemelli.

X. Sed agnouit iustitiam non imputatam, sed inhærentem, inquit Bellarminus. Imo vtramque, inquam: nam remissio peccatorum est iustitia imputata. Quo tamen illud argumento? Quia, inquit, eam iustitiam esse dicat, propter veri boni finem. Ita est, inquam: nam, quis neget inhærentem fidelium iustitiam, non tantum ex genere suo esse veram, sed etiam referri ad vere bonum finem? Sed illam ipsam tamen iustitiam, magis constare remissione peccatorum, dixit Augustinus. Nimirum, quia, etsi sit ex genere suo bona, & tendat ad verum boni finem; tamen & in genere suo valde deficit, & languidius æquo tendit ad suum finem, imo inconstans est, nec sui semper similis. Itaque, ut habeatur apud Deum pro vera iustitia, necesse est perpetuam succurrere remissionem, per quam, & quæ non sunt bona, facta, & quæ sunt mala, non facta habeantur. Quod ipsum significatur, subiectis à Ballarmino verbis, in quibus, illud de imperio Dei & rationis, ad virtutes pertinet, sed non nominatur sine venia delictorum.

XI. Quod attinet ad geminam illam causam, verum est, & virtutes infusus magis ac magis augeri debere, & egere quotidie remissione: Sed, per remissionem nihil remanere, quod habeat rationem culpæ, manifeste falsum. Culpam prorsus tolli concedimus, neque enim remissio aliter esse potest, sed tolli omnino, quicquid habet rationem culpæ, confutatur facile, ex ipsis Bellarmini verbis, fatentis virtutem infusam, egere quotidie noua remissione: nam remissio nulla, si nulla culpa. Porro, veram causam, cur ita sit loquutus Augustinus, longe melius Bellarmino Viues expressit, Magna enim ex parte sumus boni, non quod bene viuimus, sed quod commissorum scelerum nobis sit à Deo gratia.

XII. Bernardus claudit agmen: Epistola centesima nonagesima, iustum me dixerim, sed illius iustitia. Quamnam ipsa? Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Denique, qui factus est nobis, inquit, iustitia à Deo patre. Sermone vigesimo secundo in Cantica. Qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum. Item, Delicta inuentus mea, & ignorantias meas ne memineris, & iustus sum. Et Sermone 23. Sufficit mihi ad omnem iustitiam solam habere prebitium, cui soli peccavi. & post, Non peccare, Dei iustitia est, hominis iustitia indulgentia Dei.

XIII. Responder: Primo, Bernardum velle, nostram esse iustitiã Christi, quomodo peccatum Adami nostrum, quia videlicet eam participemus per regenerationem, sicut hoc per generationem. Itaque, sicut peccatum Adæ in nos traductum, non est id quod Adamo inhærebat, sed aliud nobis inhærens, ab illo deriuatum, sic iustitiam Christi nobis donatam non esse illam, qua ipse iustus est, sed aliam quæ nobis inhæret, ab illa tamen deriuatam. Itaque dixisse, Ergo docuit iustitiam, & non dedit ostendit charitatem, sed non infudit? contra Abailardum, qui Christum diceret profuisse doctrinam, & exemplo, non autem redemisse, aut iustitiam, charitatem ve infudisse. Secundo: Nomine indulgentiæ & remissionis intelligi plenam iustificationem, quia nunquam remittatur culpa, ut non simul infundatur iustitia. Quod si quando sola remissio intelligatur, tum addi iustificationem. Sermone vigesimo secundo: Tam validus es ad iustificandum, quam multus ad ignoscendum. Item, Sic tactus à peccatrice iustus, iustitiam impertit, non perdit, nec sorde peccati, qua illam mundat, se inquinat. Item, Qui lapsus flevit amare, quatenus culpam dilueret, recuperaret iustitiam. Idem, Serm. 5. de verbis Elia, Vidi Dominum: luculenter tradit, iustitiam nobis inhærentem, eamque distinguit à iustitia, qua iustus est Christus.

XIV. Sed de comparatione illa iustitiæ Christi cum peccato Adami, alias actum, aliud esse peccatum Adami nobis imputatum, aliud peccatum ab eo peccato in nos deriuatum: nam illud vere fuisse Adami, & in Adamo: at nostrum quidem non in nobis, sed tantum imputatum, sicut iustitiam Christi in Christo; nostram esse, non in nobis. Sed ex ista rursus inhærentem & nostram, & in nobis, non CHRISTI in CHRISTO, sicut ex Adami peccato, peccatum & nostrum & in nobis, non autem Adami in Adamo. Itaque damnetur sane Abailardus, si docuit nullam infundi iustitiam, & in CHRISTO nihil esse præter exemplum doctrinamque, exclamaretque sane Bernardus, & dari iustitiam, & caritatem infundi. Nobis profecto propitiis exclamaturus. Non enim sequitur, non imputari iustitiam Christi.

XV. In secundo capite, concedimus non remitti culpam, ut non simul infundatur iustitia, sed negamus eo ipso intelligi infusionem, cum nominatur indulgentia: imo distingui, cum dicitur factus Iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione (nam hoc Bernardus addidit) quam habuit cum peccatoribus. Nam infusio illa ipsissima est sanctificatio, itaque, si distinguitur à iustitia per absolutionem, omnino distinguitur ita ab infusione. Itaque paulo post, Et primo quidem veritatis doctor depulit umbram ignorantia tua, luce sapientia sua. Per iustitiam deinde, qua ex fide est, soluit fumes peccatorum, gratis iustificans peccatorem. Addidit quoque sancte inter peccatores viuere, & sic tradere formam vitæ, tanquam viam, qua redires in patriam. Certe hæc forma vitæ, est sanctificatio, est iustitia infusa, & tamen distinguitur aperte à iustificatione. Paulo post, Quis non post illum libenter, atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata dissimulat, qui deinde, merita viuendo tradit præmia moriendo conquirat? Plane. Primo, vides distinctionem:

nam merita tradere, infusionis est, & tertio tamen loco, qui est apud Paulum, sanctificationis. Deinde, quam prius absolutionem dixit peccatorum, nunc erratorum dissimulationem. Etiamne idem est dissimulatio errorum, & infusio iustitiæ? Multa sunt in iis sermonibus similia.

XVI. Verumtamen, inquit, si quando solam remissionem intelligat, addit iustificationem. Quid tum, inquam? Nam concedam iustificationem intelligi pro infusione, quod, etsi crebrum est apud Patres, non est ex stilo Pauli, tamen non sequitur indulgentiam sumi pro infusione, sed tantum à Christo, & indulgentiam haberi, & infusionem, quod nemo sanus negat, nec rursus sequitur, factum esse iustitiam, propter infusionem, non propter indulgentiam.

XVII. Nec plura Bellarminus voluit videre, nos plura etiam nolenti obtrudamus. Iustinus ad Dignetum, αὐτὸς τὸν ἴδιον ἦεν ἀπέδοτο τὸ λυτῶν ὑπὲρ ἡμῶν. τὸν ἀγαθὸν ὑπὲρ τῶν κακῶν, τὸ δικαίον ὑπὲρ τῶν ἀδικῶν, τὸ ἀφθόνον ὑπὲρ τῶν φθονῶν, τὸν ἀγαθὸν ὑπὲρ τῶν ἐνηθῶν. τὸ δὲ ἀποδοῦναι ἀμαρτίας ἡμῶν ἡδυνήθη καλῶς ἢ δαιμόνιον δικαιοσύνην, ἐν τῇ δικαιοσύνην δὲ νατὸν τὸν ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀνομίᾳ. ἢ ἐν μόνῳ τῷ ἴσθ' Θεοῦ, ἀπὸ τῆς γλυκείας ἀπελευθέρωσεν τῆς ἀνίξις, καὶ δὲ ἀμαρτίας ἡμῶν ἀπεδοκεν τὸν δόξαστον. ἵνα ἀνομίᾳ ἡμῶν πᾶσαν ἐν δικαίῳ εὐκέρως, δικαιοσύνη δὲ ἐδ: πᾶσι ἀνομίας δικαιοσύνη, ἴψε Deus proprium Filium tradidit pretium redemptionis pro nobis, Sanctum pro exlegibus, nequitia expertem pro malis, iustum pro iniustis, incorruptibilem pro corruptibilibus, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata potuisset occultare nostra, præter eius iustitiam, in quo nos exleges & impij poteramus iustificari, excepto solo Filio Dei: O gratia permutacionem! o imperuestigabile artificium! o insperata beneficia! ut multorum iniquitas in uno iusto absconderetur, vnum autem iustitia multos iniustos iustificaret. Gregorius Nyssenus, homil. secunda, in Canticum, Ipsa descensibus addit miraculum, quod in se factum est, ut magis discamus immensam Sponsi benignitatem, qui dilecti per dilectionem indidit pulcritudinem. Nolite, inquit, mirari quod me dilexerit rectitudo, sed quod cum nigra essem peccato, & per opera affinis essem, & coniuncta tenebris, me pulchram fecerit per dilectionem, τὸ ἴδιον καλῶς ἢ κατὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ, καὶ τὰ ἀκαθάρτα ἴδρωσιν, sua pulcritudine commutata cum mea turpitudine: μεταβάς γὰρ ἑαυτὸν τῶν ἰσθῶν ἀκαθάρτων ἡμῶν, μεταβάς γὰρ τῆς ἐκείνου κατὰ τὸ εἶδος, καὶ ὁ μὲν ἐν ἰσθῶν καλῶν ἀπερῆσεν ἡμῶν, In se enim, translatis sordibus meorum peccatorum, me sua puritate impertit, efficiens participem sua pulcritudinis.

XVIII. Ambrosius, Epistola septuagesima prima, Subditus autem mundus eo per legem factus est, quia ex prescripto legis omnes conuincuntur, & ex operibus legis nemo iustificatur, id est, quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Videbatur lex nocuisse, qua omnes fecerat peccatores, sed veniens Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit. Hoc est quod ait, Superabundauit peccatum per legem: superabundauit autem gratia per Iesum, quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Ioannes dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per lauacrum iustificatus est. Fides ergo est, qua liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur. Et paulo ante, Vnde & Dominus quasi obediens venit, ut inobedientia & prauaricationis humana laqueus solueretur. Itaque, sicut per inobedientiam peccatum intravit, ita per obedientiam peccatum solutum est. Vnde & Apostolus ait: Quia, sicut per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per obedientiam vnus hominis iusti constituentur multi. De Jacob & vita beata, libri 1. cap. 6. Non habeo unde gloriari in operibus meis possim, non habeo unde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vniuersi peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata, non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus ad Patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est.

XIX. Hieronymus aduersus Pelagianos libro primo, Audi eundem Evangelistam, Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, ut dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate. Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.

XX. Augustinus, de Spiritu & litera capite vicefimo sexto, Sic intelligendum est, Factores legis iustificabuntur, ut sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur, ut non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio precedat. Quod enim est aliud iustificati, quam iusti facti, ab illo scilicet, qui iustificat impium, ut ex impio fiat iustus? Capite vigesimo sexto, Opus, quod qui fecerit, viuere in eo, non sit nisi à iustificato. Iustificatio autem, ex fide impetratur. Sermone sexagesimo octauo, de tempore, si tamen est Augustini, Crediti Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam. Ecce, sine opere iustificatur ex fide, & quicquid illi legali posset obseruatione conferri, totum credulitas sola donauit. De verbis Domini, sermone trigesimo septimo, Suscipiendo poenam, & non suscipiendo culpam, & culpam deleuit, & poenam. In præfatione Psalmi trigesimali primi, Quid ergo? Qui sunt beati? Non in quibus non inuenit Deus peccatum. Nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit, & crediti Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. In Psalm. 30. conc. 1. Et in iustitia tua erue me, & exiit me. Nam si attendas ad iustitiam meam, damnas me. In iustitia tua erue me. Est enim iustitia Dei, qua & nostra sit cum donatur nobis. Ideo autem Dei iustitia dicitur, ne homo se putet à se ipso habere iustitiam. In Psalm. 142. In tua iustitia, non in mea. Non, quia ego merui, sed quia tu misereris. Nam si metum ostenderem meritum, nihil abs te mererer, nisi supplicium. Auulsi merita mea, inseruisti dona tua. In Joan. homil. 3. Omnes qui ex Adam cum peccato, peccatores, omnes qui per CHRISTVM iustificati, iusti, non in se, sed in illo. Nam in se, si interrogas, Adam sunt: in illo, si interrogas, Christi sunt.

XXI. Cyrillus in Joannem, lib. 4. cap. 41. Ne iustificari opere putemus, ne gratiam Dei meritis nostris, sed fide assuetam nobis speremus, accirco, prius quam leges, & disciplinam viuendi poneret, statim cum fide futurorum bonorum gratiam posuit.

XIII. Ad tertium: negatur, qui credit ex toto corde, eum habere fidem perfectam: sed tantum sinceram, & non fictam, si ut alias de caritate dicitur. Et omnis fides contra spem erudit: siue ea infirma siue sit; firma, siue perfecta, siue imperfecta, quia rationibus humanis non nititur: imò rationibus humanis obicitur; quæ potius dissuadent, quam suadent articulos fidei. Itaque Abrahami non propterea describitur fides perfecta. *Παρθενία* autem eam ipsam vim fidei significat, quæ innititur certitudini diuinæ, cuius habet sensum efficacem: Itaque Abraham *παρθενία*, non quasi nihil ei deesset ad fidei perfectionem; sed, quia eius fundamentum certissimum, & inconculsum retineret, nempe, omnipotentiam Dei. Itaque omnis fides Catholica, est, *παρθενία*: etiam eius qui dicebat, Marci nono; *Credo, Domine: succurre incredulitati meæ*. Nimirum, quia nulla fides, est ab humana persuasione, sed à diuina. Diuina autem persuasio, tanta est, ut nulla ei par esse possit. Itaque merito *παρθενία* dicitur.

XIV. Languidam fidem cur neget in ad Hebræos commendari, non video. Non enim ea disputatio est nostra. Potest enim esse fides non languida, non imbecillis, quæ tamen non sit perfecta. Nam, ne illa quidem erat imbecilla & languida, quam, ex Marci nono, iam iam audiuius. Mundum autem cur non vincat fides, etiam imperfecta? Nam, *quæ infirma sunt in mundo, elegit Deus, ut pudesciat robusta. Et, infirmitas Dei validior est quam homines*, i. ad Cor. i. Itaque, etsi vincat mundum, & Diabolum; non tamen est perfecta fides.

XV. Spem esse perfectam inde probat, quod ad Hebræos 6. affirmetur, debere esse tanquam anchoram animæ tutam ac firmam, sed hoc ridiculum: non enim si firma & tuta, ideo perfecta: sed duntaxat vera, firma autem etiam, non suis viribus, sed Dei potentia, quæ perficitur in infirmitate.

XVI. Iam Caritatem esse perfectam probat, primum ex Augustino; de Natura & Gratia cap. 82. *Ipsa caritas est verissima, plenissima, perfectissima iustitia*. Et 70. *Perfecta caritas, perfecta iustitia*. Deinde de Scripturis. Ioannis. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis, pro amicis suis*. Constat autem, omnes Martyres hanc perfectionem attingisse. Tum autem, 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc verè caritas Dei perfecta est*. Denique dantur in Scripturis exempla Sanctorum, qui Deum toto corde dilexerunt. Præterea, Matthæi 3. *Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est*. Prioris ad Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Ad Philipp. 3. *Quicumque ergo perfecti sumus*, At caritas vinculum est perfectionis; 3. ad Philippenles: Igitur fatendum, caritatem in hac vita esse perfectam.

XVII. Verum Augustinus, qui docuit plenissimam caritatem, esse plenissimam iustitiam; perfectam caritatem, esse perfectam iustitiam: tamen nunquam docuit haberi in hac vita, aut perfectam caritatem, aut perfectam iustitiam. Contra potius, tum alibi, tum de perfectione iustitiæ, *Tunc erit iustus sine ullo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris eius, repugnans legi mentis eius: sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diligit Deum, quod est primum, summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat?*

XVIII. Maiorem non haberi dilectionem, ea, quæ animam ponit pro amicis, necesse est concedi; quandoquidem ipse Dominus dixit. Necesse est etiam fateri, omnes martyres posuisse animam suam pro Deo. Quid igitur? an fuisse in ipsa perfectam caritatem? Ego vero nego sequi. Nam de hac caritate dictum legimus Petro, qui animam suam posuit pro Christo; *Extendens manus tuas, & alius te cingat, & transferet quo volēs*. Vnde sequitur, in ipso illo Petri laudatissimo martyrio, fuisse aliquid, quod nollet Petrus: itaque, in illa ipsa maxima caritate aliquid quod perfici posset. Quid ergo? Nimirum, maior caritas, alia caritate potest dici, quæ tamen non sit perfecta. Non potest alia vlla caritas huic caritati comparari, ut non sit minor: sed ipsa hæc caritas potest adhuc perfici, ut tandem non alia tantum omni caritate, sed etiam seipsa maior sit.

XIX. Recte, qui seruat verbum Dei, in hoc perfecta est caritas Dei: sed, si perfecte seruet: nam si seruet imperfecte, omnino imperfecta caritas est. Quis est autem, qui perfecte seruet in hac vita? Neminem alias euicimus. Exempla dari eorum, qui toto corde Deum dilexerint, concedo: sed qui perfecte, siue, ut loquebatur paulo ante Augustinus, *prorsus toto corde*, nego: quod alias est disputatum: sicut etiam illud de perfectione, secundum quam iubemur esse perfecti: & de vinculo perfectionis. Hic tantum repero Augustini verba paulo ante descripta, *Cur non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat?*

XX. Quarta obiectio. Fieri non potest, ut Christi iustitia nobis imputetur, præsertim eo sensu, qui probatur hæreticis. Nam, si solum vellent, nobis imputari Christi merita, quia nobis donata sunt, & possumus ea Deo Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis, nosque Deo Patri reconciliandi, recta esset eorum sententia. Sed ita imputari, ut per eam formaliter iusti nominemur, & simus; id nos, inquit Bellarminus, cum recta ratione pugnare contendimus. Argumentum huic rei probandæ, quia, cum in aliquo duæ sunt formæ contrariæ, vna inhærens, altera extrinseca; sine dubio, denominatio absoluta sumitur ab inhærente forma potius. Sic Æthiops candida veste indutus, non albus; sed niger diceretur.

XXI. Respondeo; nos imputationem iustitiæ Christi non aliter describere, quam expressit Bellarminus: tantum addere, nullam esse aliam rationem, qua possumus apud Deum iusti censei, dignique vita æterna. Sed definitionem tamen imputationis, nos quidem meliorem nullam velimus; quicquid sibi Bellarminus fingat. Et vero non inueniet apud nostrum quemquam: nos ea Christi iustitia sic imputata formaliter esse: diciue iustos: sed phrasit est ab ipsis Papistis nobis imputata ad arbitrium: sic, ut alias sæpe, nostram sententiam malignè traducuntibus. Breuiter, ita censemus; cum nulla sit nostra iustitia, quam Deo possumus offerre pro nostris peccatis; propter quæ re vera sumus omnes apud Deum iniusti, ideoque in nobis odio digni: tum donari nobis merita, id est, iustitiam Christi, quæ Deo pro nobis satisfaciatur; quasi à nobis ipsis esset præstita. Hæc sententia, si vera, si recta, quid disputat Bellarminus? Sed profecto non erit, illo iudice, aut vera, aut recta: nimirum, quia, præter hæc Christi merita, sua etiam merita iactare, suam

iustitiam stabilire conetur, & quia nos sumus obstaculo; ideo definitionem imputationis calumniatur. Astute, sed non pie.

XXII. Sed denominatio absoluta, sit ab inhærente forma potius quam ab extrinseca. Semperne? Imo coerces; nempe, tum duntaxat cum duæ sunt formæ contrariæ. Ita esto, inquam. Sed primum, nos absolute iustum non dicimus: sed iustum per gratiam, iustum apud Deum: sicut Apostolus distinguit, iustum, cui gloria est apud homines: & iustum cui gloria apud Deum. Illum, si Bellarminus formet, prolixè per nos nugari licet: modo ne nobis suas nugas obijciat. Nam, quærimus nos quidem eam iustitiam, cuius sit apud Deum gloria: & hanc negamus aliam esse, negamus aliam esse posse homini peccatori, quam imputatam. Et secundo, negamus contrarias esse formas, inhærentem iniustitiam, & imputatam iustitiam: sed tantum inhærentem iustitiam, & inhærentem iniustitiam. Nam contrarias formas oportet esse sub eodem genere: hæc autem non sunt. Itaque nihil obstat, quominus ab vtraque denominatio sit, variato respectu. Sicut Christus dixit, Matthæi vigesimo sexto, *Spiritus promptus est, sed caro infirma*. Quibus in verbis habes duas formas designatas per verba opposita, *πρόθυμος*, & *ἀδυναμία*: non tamen inter se contrarias, propter diuersos respectus. Et vtrinque Apostolus denominatus. Sic Paulus, carne se dixit seruire legi peccati, spiritu autem legi Dei: Cur non similiter quisvis fidelis, & iniustus inhærenter, & imputatiue iustus? Neque enim hic minus exacta distinctionis ratio.

XXIII. Quinta obiectio. Si verè imputaretur nobis iustitia Christi, profecto non minus iusti haberi, censerique deberemus, quam ipse Christus: proinde etiam Redemptores, ac Saluatores mundi: quod est absurdum.

XXIV. Sed, vnde vim habet hæc consequentia? nam oblitus est Sophista indicare. Nos autem absurdam dicimus. Fieri que non posse, ut tam iustus sit, qui inhærenter iniustus, imputatiue iustus est; quam qui inhærenter iustus. Nam iste à se & per se iustus: ille tantum precatio, id est, & aliunde, & in alio. Rursus, fieri non potest, ut qui imputatiue iustus est; sit redemptor mundi; siue seruator: sed tantum redemptus & seruatus.

XXV. Sexta obiectio, non Bellarmini tantum, sed est etiam Tapperi & Andradij. Christus id nobis restituit, quod perdideramus in Adamo; teste Irenæo, libri 3. cap. 20. Augustino, libri 6. de Genesi cap. 24. 26. & 27. At in Adam non perdidimus iustitiam imputatam: Ergo per Christum non extrinsecam tantum iustitiam, imputatamque, sed etiam veram, inhærentemque recipimus.

XXVI. Respondeo, nihil esse in eo argumento, quod possit negari. Sed magna esse aduersariorum inconsiderantiam; adeo ut videantur clausis oculis pugnantes, non videre, aut quos petant, aut quomodo. Enimvero, nos etiam docemus habere nos à Christo vtrumque genus iustitiæ; tum inhærentis, tum imputatæ: sed inhærentis, nunc per inchoationem; postmodum etiam perfecte, scilicet in cælis. Quare, pax esto, si nihil aliud Sophista voluit. Sed non est ita. Controuersia enim status id habet potius, ut omnino reijciatur imputata iustitia. Id vero non conficitur isto argumento. Non enim nihil recipimus à Christo, nisi quod amisimus in Adam. Deinde, ne id quidem quod amisimus in Adam, recipimus eodem modo. Nam certè originale amisimus, nec recipimus tamen originale. Dico amplius. In Christo recipimus multo maius bonum, quam quod amisimus: multo enim maior est iustitia Christi, quæ imputatur; quam quæ fuit Adami.

XXVII. Septima obiectio. Si per iustitiam Christi imputatam, verè dici possumus iusti, & filij Dei: ergo Christus poterit dici verè peccator, & filius Diaboli. Ratio consequentiæ: quia ita Christo imputatum fuit peccatum nostrum, sicut iustitia Christi nobis. At posterius blasphemum est.

XXVIII. Respondeo distinetè per partes. Primum, peccatorem dici, vel proprie vel imputatiue. Si proprie, negatur consequentia: quia, scilicet sicut nemo proprie iustus, qui per imputationem; ita nemo dici peccator proprie potest, qui per imputationem. At, si per imputationem, quid absurdum? Imo, sic docet Scriptura: Nam, & factum legimus peccatum apud Paulum: & apud Esaiam, 53. *Cum impijs numeratus est*. At, de filio Diaboli, negatur consequentia. Etsi enim verum sit, verè dici filium Dei, cuiusque aliena iustitia imputetur: tamen falsum est, dici filium Diaboli, cuiusque aliena peccata imputentur: sed eum duntaxat, cui propria.

XXIX. Octaua obiectio. In Canticis Canticorum Christus Sponsus est; Ecclesia, siue anima iustificata, sponsa: Et sponsa dicitur pulcherrima, pulchritudine sibi inhærente, non pulchritudine Sponsi sibi imputata. Probat: primo, quia ei tribuitur pulchritudo propria mulierum; Sponso autem propria virorum: ut intelligamus esse aliam Christi, aliam Ecclesiæ iustitiam. Secundo; absurdissimum esset, si Sponsus cælestis, & verè pulcherrimus, sponsam haberet turpissimam, & solum ornata extrinsecus pretiosa aliqua veste viri.

XXX. Imo, non magis exprimitur pulchritudo inhærens, quam imputata. Itaque, locus est communis in vtramque partem, nisi aliunde lumen accipiat. Cum autem constet multis alijs locis, imputatam esse, nihil hinc Bellarminus habet, quo insulet. Prima probatio est etiam nihili. Nam, quia certum est, Christum esse inhærenter iustum, Ecclesiam autem imputatiue, prorsus aliam esse oportet & aliam iustitiam: Itaque, satisfat Bellarmino. Absurdum autem vnde habet? Nam nos absurdum esse negamus, id quod Scriptura disertè tradit. Quid enim? Nonne in Osea, Deus accusat sponsam suam, adulterij? Aut, hæcine est pulchritudo inhærens? Nonne Paulus, cuius animam non negabit Bellarminus fuisse sponsam Christi: nonne, inquam, Paulus, carne seruiebat legi peccati? Hæcine vero iustitia inhærens? Denique, nonne, qui negat se peccatum habere, mendax est? Ergo etiam sponsa Christi habet peccatum. Hæcine inhærens iustitia? In ipsis Canticis, *Nigra sum*, inquit sponsa, *sed formosa*. Breuiter, sponsam Christi esse peccato feccatam, miserum est: sed non est absurdum. Quanquam hæc ipsa miseria auferetur: ac tum succedet verè perfecta inhærens iustitia.

XXXI. Nona obiectio. Per iustificationem mandatur cor, ut præparetur ad visionem Dei. At oculus re ipsa immundus, quamuis mundissimus habeatur, non potest Solem videre. Igitur neque cor immundum,

quamvis mundum reputetur, Deum vnquam videbit. Vera igitur mundities non imputatiua conferitur in iustificatione, si ad visionem diuinam preparare nos debet.

XXXII. Oculum immundum non potest Solem videre: cor immundum Deum nunquam videbit. Quo sensu, inquam? Diuisione, an composito? Certè diuiso, falsum, qui enim oculus nunc immundus est, potest olim Solem videre: & inde dictum, Cæci vident. Similiter, cor immundum potest aliquando Dei visione frui. Nam, & Paulus cor habebat prorsus immundum, cum erat blasphemator; & tamen receptus tandem ad Deum suum. An igitur compositum malit Sophista? Verus est, sed inutilis. Nam in hac vita cum immundum est cor, non videtur Deus: in altera, cum videtur Deus, non est cor immundum, sed perfectè mundatum. At nos iniustitiam inherenter, quam oportet imputatiua iustitia regi, agnoscimus esse in hac duntaxat vita. Denique, mundari in hac vita cor, atque ita preparari ad visionem, absit vt negemus, sed preparari ad visionem, aliud est, quàm frui visione. Itaque Bellarminus est Sophista, qui aliud proponat, aliud concludat. Nam, vt verum sit, ei qui visione fruatur, oportere esse cor penitus mundum: tamen falsum est, neminem preparari ad visionem fruitionem, cui non sit cor penitus mundum.

XXXIII. Decima obiectio. Si non verè, sed imputatiue tantum sanctificauit Christus populum suum: Ergo frustra mortuus est, & non potuit efficere quod optabat. Probatur consequentia: quia Christus mortuus est, vt sanctificaret per sanguinem suum populum, ad Hebræos decimotertio: ad Ephes. 5. ad Titum 2. Ioann. 17.

XXXIV. Respondeo; primo, absurde & calumniose opponi veram sanctificationem, imputatiue: cum debuerit potius inherens. Nam vtraque vera est, suo scilicet modo quæque. Imo imputatiua longe verior iustitia, quam inherens, quia perfectior. Sed hoc condonato, imo emendato sophismate, negatur antecedens. Nimirum, quia falsum est, Christum non sanctificare inherenter suum populum. Imo vtrumque facere certum est. Sed primo imputatiue: id enim fundamentum est totius salutis: deinde & per gradus, inherenter. Quare, argumenti nullum est momentum, nisi quantum calumnie impudentia valere potest.

CAP. XXI.

Sanderi obiectiones, & Salmeronis.

I. Sanderus habet, habet Salmero suas obiectiones. Prima sic est, Si imputetur nobis Christi passio, mors, obedientia, legis impletio & iustitia: Ergo imputatur etiam totius mundi redemptio, & Filij Dei vera diuinitas: At falsum posterius. Ergo & prius. Probatur consequentia, primum quoad redemptionem. Quia obedientia & mors Christi est illa personalis, incarnati Verbi iustitia, quæ fuit & est propitiatio pro peccatis totius mundi: quæque mediationis inter Deum & homines officium exercet. Probatur rursus quoad diuinitatem. Nam, si non imputatur vna cum iustitia: Ergo separatur iustitia à Verbo, quod caro factum est. Atqui hoc est vna cum Nestorio Christum diuidere. Partem enim aliquam Christi nobis imputat; nimirum, legis impletionem, & mortem: partem vero non imputat, nempe, vniionem cum Verbo, & mediationis officium.

II. Assumpti probationem, quantum ad redemptionem pertinet, nullã vidi. De diuinitate sic disputat. Si imputatur nobis per fidem Christi persona: & illa conditio, qua Filius Dei est; Ergo nos quoque per fidem reputamur filij Dei, non adoptiui tantum, sed naturales. Nam Christus non est Filius Dei adoptiuus, sed naturalis: neque aliter nobis per fidem imputari potest, quod ad ipsum attinet, quam ipse in se est.

III. Respondeo distincte ad vtramque consequentis partem. In prioribus, quæ est de mundi redemptione, negatur consequentia: re vera enim aliud est iustitia Christi, aliud redemptio mundi: quomodo necesse est disparari causam ab effectis, adeo vt nulla possit sophisticè conficere, vt non differant. Quod si differant, profecto nulla necessitas efficiet, vt quæ de illa, ea de istis dicantur. Quod autem Sanderus obedientiam Christi asserit esse propitiationem pro peccatis totius mundi, verum est, sed metonymicum: quatenus nempe, causarum & effectuum permutantur nomina: vt sensus sit, obedientiam Christi efficere propitiationem. Porro, absurdum est, eiusdem causæ omnia effecta in vnum indiuiduum confundere. Quis neget Solis calorem applicatum arboribus, esse causam generatorum fructuum omnium? Nec tamen quisquam adeo insanit, vt pyro applicet generationem omnium fructuum, quia pyro videt applicatum eum calorem. Causa est, quia longe differunt, calor, & applicatio caloris. Calor consideratur in ipso Sole, vnde manat in omnes arbores. Sed applicatio attenditur in singulis arboribus: vt non sit omnibus idem actus communis. Re vera enim alius actus est, cum calor applicatur pyro, & alius, cum pomo, & cum nucis, & deinceps. Eadem ratio est iustitiæ Christi: quæ communis est omnibus seruandis in vitam æternam: quandoquidem nullum est aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat salutem assequi; sed sua fuit Paulo eius iustitiæ imputatio, sua Petro, Ioanni, Iacobo, alijs. Absurdissima igitur consequentia, imputari Paulo redemptionem Petri, Ioannis, Iacobi, & aliorum.

IV. In altera parte, quæ est de diuinitate; varia sunt peccata Theologo indigna. Primum, consequentiæ probationes sunt futiles. Sicut enim iam dictum, non sequi, si causæ imputentur, etiam effecta imputari: sic contra, non est necesse, cui effecta imputentur, eidem causam imputari; vt cui arbori calor æstiuus applicetur, eadem dicatur æstas esse. At Diuinitas causa est iustitiæ illius, de qua disputamus.

V. Nestoriana distractio, merum est *κατασκευασμα*, solo nominum crepitaculo infantes territans. Est enim falsissimum, sic distrahi Christum. Primo, falsum, separari iustitiam à verbo. Verum est enim duntaxat distinguere, & re vera fieri non potest, vt non sit aliud diuinitas Christi, ab eius obe-

diencia. Et hæc disparatio sufficit, vt negemus sequi, si imputetur obedientia, imputari diuinitatem. Falsum rursus, partem aliquam Christi nobis imputari, alteram non imputari. Nam, obedientia, nulla pars est Christi, sed effectum Christi.

VI. Obiectio secunda. Si nobis per fidem imputaretur Filij propria obedientia & iustitia in sua perfectione: Ergo nos quoque eodem loco essemus apud Deum, in ratione mercedis capiendæ, quo est ipse Filius Dei vnigenitus. At hoc falsum. Ergo illud. Ratio consequentiæ. Hæc enim est natura imputationis, vt quanquam id quod imputatur, multum alias differat, in fine tamen ipso, & in omni effectu, qui rem consequitur; eandem prorsus vim cum eo ad quod imputatur, obtineat. Exempla subdit. Cum Ægyptij tenerentur offerre primitiua sua, Exodi duodecimo; substituta sunt pro primitiuis decimæ, Numerorum decimo octauo. Et tantum valuerunt coram Deo in Leuitarum personis, primitiarum, quantum in Israelitis alijs primitiuorum oblatio. Paulus ad Romanos quarto, dicit, Gentilis obseruantis legem præputium in Circumcisionem reputari; vnde sequitur, quicumque effectus fuit Circumcisionis, eundem esse illius Gentilis, qui legem consummarit. Abraham credidit, & reputatum est ei ad iustitiam: Ergo Abraham, eo quod credidit, consequutus est eundem effectum, qui verè ac plenè iustitiæ debetur.

VII. Consequentis absurditas probatur. Quia si eodem loco sumus cum Christo: ergo habebimus clauem David, vt aperiamus, & nemo claudat: claudamus, & nemo apertiat: Ergo constituimur à dextris Dei; supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & supra omnem nomen quod nominari potest, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Ergo sumus caput corporis Ecclesiæ, iudices viuorum & mortuorum. Ergo adorabunt nos Angeli Dei, velut ipsum Dei Filium. Quæ omnia absurdissima sunt.

VIII. Respondeo primo, negari consequentiam. Neque enim æquum aut iustum est, eum qui per se iustus sit, nihil habere prærogatiuæ, præter eum, qui non ipse per se, sed per illum iustus sit. Et notum est Axioma: per quod quicumque tale est, id ipsum magis tale. Itaque, in Scripturis Christus proponitur *πρωτότοκος*. Ad Colossenses primo, *Estque caput corporis Ecclesiæ, principium, & primogenitus ex mortuis, vt in omnibus primas teneat*. Præterea hæc imputatio opus est Dei voluntarium, & liberum: itaque tantum prodicitur, non quantum Sophista ratiocinari potest verisimilibus coniecturis, sed quantum ille vult qui imputat. Sic in humanis rebus potest rex filio cuiusquam aulici, patris imputare probitatem, vt ne tamen in filium conferat, quicquid in patrem contulit beneficiorum: imo interdum vt penas solas remittat; est, cum ne has quidem omnino. Et in nostro argumento, etsi à peccato sint omnes huius vitæ infirmitates, tamen, quibus imputatur perfecta iustitia, iidem non liberantur ijs infirmitatibus.

IX. Probatio consequentiæ est *ἀνεσθηθη*. Nam hæc comparat id quod imputatur, cum eo quod inesse debuerat; id est, rem cum re: puta iustitiam imputatam pro inherente; cum ipsa inherente. At argumentum comparabat potius personam cum persona; cum, inquam, cui imputatur, cum Christo, cuius est inherenter id quod imputatur. Argumentum ita erat; Si nobis imputatur iustitia Christi, ergo nos sumus eodem loco, quo Christus. Probatio autem. Si iustitia Christi imputatur pro inherente: Ergo iustitia Christi eodem loco est cum inherente, quis distantiam non sentit, & sophisticam terminorum mutationem? Itaque nihil probatur.

X. Secundo, respondeo; Eodem hoc loco esse cum Christo, non *ἀπὸ τῆς*, sed *ἐκ τῆς*; & vt erat in ipso argumento, in ratione mercedis capiendæ; quam rationem iam obseruatum est, sumendam à voluntate imputantis. Itaque, hac addita exceptione, concedo nos eodem loco esse cum Christo: id est, ea præmia reportaturos, quæ Christus reportauit. Quis enim ignorat Ioannem dixisse, *carissimi, filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est?* Et Paulum, octauo ad Romanos, *Si filij, etiam heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si modo simul cum eo patimur, vt simul eum eo glorificemur*. Et Christum ipsum, Ioannis decimo septimo, *Pater, quos dilexisti mihi, velim vt vbi sum ego, & illi sint mecum: id est, teste Maldonato, habebunt mecum eundem gradum dignitatis, habebunt communem mecum hereditatem, conregnabunt mecum*. Villagudo, *Eiusdem æterna vita, & gloriæ sicut mecum participes*. Quænam igitur causa negandi consequentis.

XI. In probatione manifesta est consequentiæ ineptia. Nam, quæcumque enumerantur capita, ea non præmia sunt humanæ iustitiæ, sed sunt effecta vniionis hypostaticæ. Itaque, obtineri non poterat ab vlla iustitia inherente, cuius loco imputatur nobis hæc, quæ Christi est. Dixit autem Sanderus, id quod imputatur, eandem vim habere, cum eo ad quod imputatur. Cur ergo in hæc diuerit capita? Fides Abrahamo imputata est ad iustitiam, id est, loco iustitiæ inherens, qua destituebatur: Ergo per fidem obtinuit quicquid mereri poterat iustitia inherens, si vel perfectam habuisset. At hæc inherens, nauquam poterat mereri clauem David, non gradum supra omne nomen, non caput Ecclesiæ, non iudicium viuorum & mortuorum. Sed sola potuit efficere vniõ hypostatica duarum naturarum, quæ nulla est ab imputatione iustitiæ.

XII. Obiectio tertia. Si Christi iustitia sit causa nostræ iustificationis: Ergo non verè dicitur nostra formalis iustitia. Consequentia patet, quia necesse sit causam differre ab effectu suo. Assumptum, quia mortem & resurrectionem Christi, esse iustitiam eius efficacissimam Protestantes vltro concedant. Nec denegare possunt eandem esse iustificationis nostræ causam: cū Paulus dicat, ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem*.

XIII. Respondeo, negari consequentiam: Est enim aliquod genus causarum idem reapse cum suo effectu; puta, materia & forma: quæ sunt internæ, vt pote constituentes essentiam rei. Sic lignum materia est scamni, ideoque causa; nec tamen differt à scamno, nisi abstracte, & per cogitationem. Porro, obedientiam, iustitiam, mortem Christi, dicimus esse causam iustificationis, non externam, sed internam, id est, vt in constituenda quæstione dicebamus, materiam: quanquam Papistæ formæ nomen libentius vsurpent,

penit, quia magis sophisticum. Cum enim iustitiam dicamus imputatiam; omnino necesse est, id quod imputat, esse causam efficientem: At iustitia Christi ipsa seipsam non imputat: non est ergo efficiens. An finalis? minime vero: hæc enim salus est, siue vita æterna. Aut igitur materia est; aut forma. Sed materia potius; quia ipsa imputatur: quomodo lignum scami materia, quia in scamnum dolatur. Forma autem ipsa est imputatio.

XIV. Obiectio quarta. Si mors & resurrectio Christi esset nostra iustitia: ergo nos, nec mori deberemus, nec resurgere, vt iustificemur. Atqui certum, nos præterea in nobis ipsis mori debere, & resurgere: Ergo mors Christi & resurrectio non est iustitia nostra. Probatur consequentia. Quia Christus pro nobis mortuus esset, & resurrexisset, nec operi eius quicquam deesse poterit. Probatur assumptum, ex ad Romanos sexto, *Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem, vt, quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim compantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

XV. Respondeo, concedi consequentiam: sed argumentum esse Sophisticum propter terminorum multitudinem: Assumptio enim variat medium. Propositio concludit, nobis non esse moriendum, & resurgendum, vt iustificemur. At assumptio ponit, & probat hoc tantum, nempe, nobis moriendum esse, & resurgendum: nec aut ponit aut probat, id futurum, vt iustificemur. Nos autem negamus, in morte, aut resurrectione nostri, sitam esse vllam partem nostræ iustificationis. Vel enim proprie dicuntur pro corporis depositione, & assumptione: vel metaphorice, pro sanctificatione, per quam morimur peccatis, viuimus iustitiæ. Atqui neutrum, vt iustificemur: sed prius, vt glorificemur; posterius, vt sanctificemur: quod vtrumque est iustificationis effectum. Itaque, non morimur, & resurgimus, vt iustificemur: sed iustificamur vt moriamur, & resurgamus, contra quam Sophista volebat.

XVI. Obiectio quinta. Si Christi iustitia nobis imputetur à Deo: Ergo iustitia Christi per illam imputationem vere fit nostra iustitia, & nos vere transformamur in filios Dei. Probatur consequentia, quia imputatio Dei non est otiosa, aut superuacanea: sed, quicquid imputat nobis, vere ita efficitur, sicut imputat. Psalmo 114. *Fecit quacunq; voluit in caelo & in terra.*

XVII. Respondeo; male sibi consoluiffe Sanderum, qui argumentum reliquit adeo imperfectum; vt vim nullam habeat. Nam nos quidem hæc omnia concedimus libenter. Absit enim, vt illudere hominibus Deum fingamus. Itaque, per hanc imputationem certissime credimus, iustitiam Christi factam esse nostram: adeo vt nihil magis nostrum, aut esse aut dici queat. Tantum non sumus adeo stupidi, vt concedamus, nihil esse vere nostrum, nisi quod nobis inhæreat: quod Sanderus oblitus est disputare.

XVIII. Obiectio sexta. In omni genere imputationis, id quod imputatur, velut ab aliquo factum, eiusmodi est, vt, vel debuerit ab illo fieri iuxta commune ius, vel potuerit, nisi culpa sua obtulisset. At Christi iustitiam homo, nec in statu innocentie facere, aut debuit, aut potuit: Ergo Christi iustitia non imputatur. Probatur maior exemplis. Nam Leuitæ sua primogenita & poterant obtulisse, non secus quam reliqui Israelitæ: & debebant, nisi Deus oblationem primitiarum in primitiuorum oblationem illis imputasset. Et Gentiles poterant circumcidi, non secus ac Iudæi, & debuissent, nisi Deus consummationem legis in Circumcisionem imputasset. Probatur minor, quia nunquam tenebatur homo talem iustitiam operari; cuius merito alij, etiam iniusti, ad vitam æternam aspirarent. Imo ne potuit quidem, quum solus ille, qui portat omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciat.

XIX. Respondeo, maiorem non esse veram. Nam scemini in lege imputabatur Circumcisio, quæ tamen circumcidi non debebant, nec poterant. Imputatam fuisse constat, quia habebantur in populo Dei, & participes erant scederis, cuius signum erat Circumcisio. Christus, Matthæi vigesimo tertio, cum dicit, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, effusus super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zacharia filij Barachia,* indicat Iudæis, quos alloquebatur, imputatam fuisse necem Abelis, quem tamen neque debebant, neque poterant occidere. Paulus, prioris ad Corinthios vndecimo. *Quisquis ederit panem hunc, ac biberit hoc poculum Domini indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini, usque ad mortem, & ne quis ipsum effudit, inquit Oecumenius: & tamen nemo Corinthiorum, aut potuit aut debuit effundere sanguinem Christi.*

XX. Est autem leuicula Sophistæ probatio, à paucis exemplis: à quibus nulla potest vniuersalis educi conclusio.

XXI. Et sunt tamen eadem ipsa exempla à *magistro dionysio*. Nam cuiusmodi hæc, quæso? Debeant primogeniti Leuitarum offerri, pro quibus postea frugum primitiæ. Debeant gentes circumcidi: pro quo impletio legis: Ergo, inquam, hæc exempla probant, cum vnum quid imputatur pro alio, hoc deberi. Atqui argumentum longe aliud est; probans iustitiam ipsam Christi, id est, quam exhibuit Christus, fuisse, aut debitam, aut possibilem. Non vero eam iustitiam, cuius loco imputatur Christi iustitia, fuisse, aut debitam, aut possibilem. Itaque nihil nisi nugatur Sophista. Nam profecto hæc iustitia, & debebatur ab homine, & poterat præstari. Sed, quia non præstitit, merito damnandus, seruatur per imputationem iustitiæ Christi. Breuiter, imputatur iustitia Christi pro ea quam habere & debebamus, & poteramus, si non essemus facti peccatores.

XXII. Obiectio septima. Si Christi iustitia, non per ministerium quoddam, non per effectum, non similitudine quadam participata, sed in ipsa essentia sua nobis per fidem, velut nostra, coram Deo iustitia formalis imputatur: Ergo serui Domini sui gloriam reipsa usurpabunt, & vere volent Dij esse: At hoc absurdum: Ergo & illud. Salmero hanc obiectionem transcripsit.

XXIII. Respondeo, prolixum esse in consequentis absurditate probanda, Sanderum, quoniam nihil opus fuit. Quis enim contradixit? Sed consequentiam proflus intactam reliquisse, quasi esset extra omnem contradic-

tionis aleam posita: quæ tamen est ineptissima. Etenim imputatio iustitiæ vel actiue dicitur, vel passiue. Actiue, concedimus magnam esse gloriam Christi, quod nobis imputet suam iustitiam. Sed hanc non usurpamus nos; qui non ipsi nobis imputamus. Passiue autem, significaret iustitiam imputari Christo: quæ profecto nulla esset eius gloria: imo maxima ignominia; quandoquidem Filium Dei necesse esset peccatorem agnoscefe. Non enim imputatur iustitia, nisi ijs qui peccato sunt obnoxij: in quibus qui Christum nuiceret, esto anathema. Moneo tamen hanc phrasin; *in ipsa essentia sua nobis velut nostra coram Deo iustitia formalis imputatur*, nostram non esse; sed eorum Sophistarum, qui, quid nos sentiamus, susque deque habent: magis intenti calumnijs. Nostra longè simplicior oratio.

XXIV. Obiectio octaua. Si Christi iustitia nobis imputatur: Ergo multo magis Patri, & Spiritui Sancto. At hoc absurdum. Ergo & illud. Consequentia confirmatur: quia Filius propinquior est Patri; & Spiritui quam nobis. Ratio, quia differt à nobis tota persona, natura autem sola communicat: at illis, & natura communicat & persona, quandoquidem persona est Deitatis, non humanitatis. Potro, vt solus Deus & homo redemit genus humanum; sic iustitia, quæ id redemit, solius personæ Dei propria est.

XXV. Proh Dei atque hominum fidem, tantumne sophisticatis mortistrum, in cuiusquam hominis mentem cadere potuisse? Enimvero, cur non æque dixit: Si Christus nos seruauit à damnatione, ergo multo magis Patrem & Spiritum? Nam eadem ratio est. Negatur vero consequentia. Negandi ratio: quia imputatio effectum est non naturale, sed voluntarium. Itaque non aut pendet à vicinitate naturarum, aut à personæ disparatione impeditur: sed à voluntate. Sic imputatur iustitia non omnibus hominibus, sed solis electis: etiam si omnes homines naturam habeant cum Christo communem: & fideles distinguantur persona, non minus, quam infideles. Imputatur ergo non quibuscumque: sed ijs, quos Deus saluos voluit ab æterna morte. Atqui neque Patrem, neque Spiritum oportuit saluari. Tum ijs solis imputatur iustitia Christi, qui nullam suam habent. Quid? Patrem & Spiritum in his numerabit quisquam? Confirmatio igitur æque cum syllogismo absurdissima. Quid tum enim, si propinquior Mediator Patri quam nobis? Quamquam hoc ipsum *ἐπιπροκειμένον* dictum. Si enim propinquior, ergo non medius; tum autem propinquitas naturæ est, non personæ: Nam hæc *ἰδιότης* significat, & differentiam. Itaque non communicat Filius Patri personam: esset enim eadem persona: quod est absurdum. Natura autem, æque nobiscum communicat, ac cum Patre: Quia vtriusque *ἐκ τῆς οὐσίας*. Sed hæc arcana alterius loci.

XXVI. Obiectio nona. Quæ proportio est inter Christi iustitiam, quæ est sanctus, innocens, impollutus: & segregatus à peccatoribus, & iustitiam peccatoris, qui cordis conuersione, penitentia actione, iniquitatum deletionem, interioris hominis renouatione indiget? Aut quis iam dixerit, eam iustitiam, cuius non minima pars est peccatorum remissio, & eorundem non imputatio, Christi iustitiam aut obedientiam esse?

XXVII. Respondeo: iustitiam dici vel inhærentem, vel imputatam. Ad inhærentem homini, pertinere cordis conuersionem, penitentiam, renouationem. Ad imputatam vero, iniquitatum deletionem, peccatorum remissionem, & non imputationem. Iustitiam Christi esse inhærentem ipsi, nullam imputatam. Dico igitur, iustitiæ nobis inhærentis ad iustitiam Christo inhærentem nullam esse proportionem; nisi quanta esse potest inter efficientem causam & effectum, atque hoc quidem inchoatum. Sed hoc absurdum, alienum est ab hac disputatione, quæ tota est de iustitia nobis imputata. At iustitiæ Christi inhærentis, ad iustitiam nobis imputatam, non tam proportio est, quam identitas. Sed, inquit, remissio peccatorum non est iustitia Christi. Inhærens, inquam: sed est iustitia Christi nobis imputata: quicquid in animum tandem Sanderus induxerit.

XXVIII. Obiectio decima. Iustitiæ nostræ essentia ex fide constat: At iustitia Christi non fuit ex fide: Ergo iustitia Christi non est nostra. Probatur prior propositio, ex Apostolo concludente hominem iustificari fide, 3. ad Rom. Probatur altera, quia Christus fidem non habuit.

XXIX. Negatur prima propositio. Est enim fides, non essentia nostræ iustificationis, sed instrumentum, sicut explicaturi sumus proxima controuerfia. Itaque Paulo idem est *δικαιοσύνην πιστεως*, & *δία πιστεως*: Iustificari fide, & per fidem. Colligimus, inquit, *iustificari hominem fide*. Et statim, *Iustificabitur circumcisio ex fide, & præputium per fidem*. Iam fides apprehendit ipsam illam Christi iustitiam: atque hinc iustitia imputata. Itaque iustitia fidei, est ipsa Christi iustitia: contra quam inepte argutus Sophista concludebat.

XXX. Vndecima obiectio. Iustitia fidei augetur in electis, quam diu in hoc mundo agunt. At iustitia Christi augeri non potest. Ergo iustitia Christi, non est nostra iustitia. Probatur maior Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Ad Philipp. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad branium supernæ uocationis Dei in Iesu Christo*.

XXXI. Respondeo, iustitiam fidei proptie intelligi hanc imputatiam, quam diximus: & hanc non augeri: sed simul & semel perfici, imo esse ab æterno, quia in voluntate Dei, eligentis suos: non in tempore, nec nisi in Christo; ideoque per imputatam iustitiam. Ad Ephesios primo. *Elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi*. Locum ex Apocalypsi, alias diximus loqui de iustitia inhærenti: atque adeo id ipsum aduersarij contendunt. Eadem ratio alterius ad Philippenses: Argumento certo, quod Apostolus dicat se obliuisci, extendere seipsum, & persequi: quæ omnia significant actus Apostoli: qui omnes pertinent ad inhærentem iustitiam; nam ad imputatam, habemus nos merè passiue.

XXXII. Duodecima obiectio. Si iustitia fidei esset Christi iustitia per fidem apprehensa: Ergo simul ac Paulus credidisset in Christum, statim comprehendisset, sicut comprehensus est à Christo. At fallum consequens. Ergo & antecedens. Probatur assumptum ex tertio ad Philippenses. Cupit enim habere iustitiam, quæ est ex fide, negatque se adhuc perfectum esse, aut comprehendisse.

XXXIII. Respondeo: negari consequentiam. Sunt enim saluti sui gradus, quorum postremus designatur à Paulo per comprehensionem, quæ tunc demum futura est, cum ab hac carne peccati transferemur in æterna tabernacula. Vnde apud Scholasticos Theologos frequentissimum factum comprehensionis nomen. Itaque Thomas in eum locum: *Non quod iam acceperim; scilicet, gloriam quam quero: aut iam perfectus sum. Prioris ad Corinthios decimo tertio: Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et post, *Quod ergo hic dicitur, intelligitur de perfectione patriæ.* Salmero. *Dicendum est, duplicem esse hominis consummationem. Primam, quæ contingit expleto huius vite cursu, quando anima coronam apprehendet suam: alteram, quæ tantisper manet, dum licet recipere corporis consummationem, quam nondum apprehenderit: Et de hac non loquitur hic Apostolus, quia stigmata Domini Iesu portabat in corpore suo, plenus affectionibus & tribulationibus: sed est sermo de prioris cursus consummatione: ne quis crederet, perinde esse perfectum, atque illos qui mortui sunt, & qui nihil aliud expectant præ corporis glorificationem.* Necessè est igitur comprehensionem hanc terminare præcedat iustificatio: vnde apparet inceptum consequentiam.

XXXIV. Obiectio decima tertia. Si Christus est nostra iustitia, etiam Abelis, & Abraham iustitia fuit. At fallit posterius. Ergo & prius. Probatur consequentia. Habemus enim eundem spiritum fidei: ideoque, ut fides Abraham reputata est illi ad iustitiam, sic & nobis nostra. Probatur assumptum. quia Christi passio & mors nondum extabat in rerum natura: sed tantum in Deo per præscientiam & prædestinationem, atque in Patribus per fidem, & dilectionem. Ergo ea res qua iustificatus est Abraham, aut nihil fuit, aut fuit ipsa Dei præscientia & prædestinatio. At non nihil: quia ipsa iustitia nihil fuisset. Non Dei præscientia: quia hæc est ipse Deus: itaque ipsius Dei essentia fuisset imputata Abraham in iustitiam.

XXXV. Respondeo: concedi consequentiam: negari assumptum. Nam Abel, & Abraham iustificati sunt per eundem Christum, per quem & nos: aut omnino iustificati non fuissent. Nam, teste Petro, Act. 4. *Non est in alio quocumque salus: nec aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari.* Itaque Paulus cum adstruit nostram iustificationem, exemplum profert Abrahami, iustificari non ex operibus, sed per fidem. Prorsus absurde, si non est eiusdem generis iustificatio Abraham per fidem, cum nostra.

XXXVI. Nondum exiisse in rerum natura mortem Christi, fatemur. Sed non fuisse per Christum, id est, per eius mortem iustificatos olim Patres, negamus sequi. Alioquin non fuisset ille, *Agnus occisus ab initio mundi.* Apocal. 13. Negamus eorum iustitiam fuisse nihil, negamus fuisse ipsam Dei præscientiam. Quia scilicet fuit ipsa mors Christi, etiam futura. Quid tum autem, si non erat in rerum natura? Nam ne nunc quidem: quia fuit. Itaque tam potuit Deus futuram obedientiam imputare, quam præteritam. Non enim ea differunt, sed modo rei. Falsa igitur consequentia, fuisse ipsam Dei essentiam imputatam.

XXXVII. Obiectio decima quarta. Nulla fidelium iustitia, officit gloriae Dei, & Christi. At iustitia imputatiua officit gloriae Dei, & Christi. Ergo ea nulla est fidelium iustitia. Assumptum probant varijs argumentis, quæ statim videro.

XXXVIII. Nunc hoc ipsum nego, officere Christi, Deive gloriae hanc imputatiuam iustitiam. Nam, si officeret; non docuisset, imo non inculcasset eam adeo constanter Paulus, vas illud electum ad perferendum nomen Dei, & Christi in conspectum Gentium. Si officeret, falso idem dixisset, ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad declarandam iustitiam suam per remissionem precedentium peccatorum, ex Dei tolerantia ad declarandum iustitiam suam præsentis tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu.* Si officeret, non dixisset, ad Rom. 1. *Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.* Denique, si hoc modo promouetur, imo constat salus: ergo eodem modo promouetur gloria Dei. Non enim potest hominum salus serungi à gloria Dei, & Christi.

XXXIX. Probatur assumptum Sanderus argumento primo. Si aduersatur gloriae Dei in suo gradu summo, ut Dei essentialis iustitia imputetur vlli creatura: igitur & Christi gloriae in suo gradu medio, pro ratione eiusdem gradus, aduersatur, ut Christi iustitia & obedientia personalis vlli creaturae imputetur. Confirmatur consequentia; quia Christus medium quendam gradum tenet inter Deum atque homines, qui gradus de medio tolleretur, si in ratione eiusdem gradus, aut Deo, qui maior est: aut peccatoribus, qui sunt infra ipsum, imputaretur.

XL. Sed consequentia est absurdissima, quia dissimilitudo terminorum maxima est. Dei ad creaturam proportio est nulla. Itaque non potest Dei iustitia, vlli creaturae communicari, vilo modo. At Christi ad creaturam proportio est manifestissima, in identitate naturæ. Itaque describuntur vbiq; fideles, participes gloriae Christi. Negatur vero tolli medium gradum: nam hic in eo est, quod Christus sit in hærenter iustus. At qui per imputationem, semper inferior est eo qui per in hærentiam: nimirum, quia non propterea non est peccator: imo si non esset peccator, non imputaretur ei.

XLI. Probatur argumento altero. Sicut gloriosum est Deo, non per imputationem essentialis suæ, verum per similitudinis cuiusdam participatam rationem, & Angelos & homines facere Deos: sic etiam Christo Mediatori gloriosum est, non per suæ personalis iustitiæ imputationem, sed per similes cuiusdam iustitiæ participatam rationem alios facere iustos coram Deo. Ergo qui dicunt ipsam Christi iustitiam imputari, in Christum peccant, quia negant Christi iustitiam adeo potentem, & efficacem esse, ut aliam in peccatoribus conuersis participatam de plenitudine eius iustitiam efficiat, quæ coram Deo illos faciat iustos.

XLII. Respondeo, meram esse calumniam, nos negare, Christi iustitiam efficere vllam in nobis participatam iustitiam, quod sæpe repetitum, sæpe confutatum est. Itaque relinquitur à nobis hæc integra Christo gloria, quem scimus & inchoare nunc sanctificationem nostram, & olim perfecturum, cum euocari ad se. Tantum dicimus, non posse hanc ipsam sanctificationem esse absque præueniente gratia, id est, amore Dei: sicut Paulus testatur amaram fuisse Iacobum, ante quam quicquam egisset boni: & Deum amasse nos tum cum essemus inimici. Hoc autem fieri non posse absque hac imputa-

tionem iustitiæ. Non enim potest fingere quicquam, amari à Deo peccatorem vllum, tanquam peccatorem. Atqui quum eramus inimici Dei, & nihil dū feceramus boni, eramus duntaxat peccatores, secundum in hærentiam. Ergo non poteramus amari à Deo. Itaque opus fuit hac imputata iustitia, præueniente quicquid in nobis boni esse potest. Et inde Paulus asserit, nos electos fuisse in Christo *ἀγαπητοὺς νόμῳ.* Non ergo nos minuius gloriam aut Dei aut Christi: sed Papistæ monstra sibi fingunt, nempe aut amorem Dei sequi in hærentem nostram iustitiam, quæ tamen nulla est, aut esse potest nisi ab amore Dei: aut amari à Deo peccatores, nulla nec sua, nec aliena iustitia iustos; id est, merè quatenus peccatores, quo nihil fingi potest magis alienum à Theologia.

XLIII. Probatur argumento tertio Salmero. Si tantum ponitur in Christo hæc iustitia Dei, qua iustificat impios, certè tenuis & exilis erit, & parum seipsam proderet, parumque gloriam Dei commendabit. Quia nihil minus in illo genere fieri potuit. Nam non potuerunt pauciores personas numerare quibus inquit, quam in illo solo.

XLIV. Imo quid illud est, ponitur tantum in Christo hæc iustitia Dei, qua iustificat impios? Saltem amphiboliam sustulisset. An enim tantum in Christo dicit, ut significet eandem iustitiam non in eo solo, sed in alijs esse oportere? An hanc tantum iustitiam, ut designet præter eam, esse aliquam aliam assignandam? Quoniam utrumque est absurdum. Nam neque Euangelium vllam docet aliam iustitiam qua iustificemur, præter obedientiam, & mortem Christi: & aliud vllum nomen negat esse, quod datum sit, ut nobis salus constet. Itaque, si hoc tenue est, & exile: tum profecto Scriptura hoc quicquid erit criminis prima admiserit. Sed Iesuitæ videlicet, suas habent proprias decempedas, quibus in metiendo, imo mentiendi vtantur. Non possunt, inquit, pauciores personæ numerari. Ità est, inquam. Sed neque pauciores vno Creatore; pauciores vno Redemptore. Intellego, quare & suos Sacrificulos Papistæ creatores sui creatoris dicant: & Sanctos etiam mediatores. Nimirum, quia tenue, exile, denique nihil minus illis visum est, quam vnum numerari. Verum, ut vili sibi permittant multiplicare pro arbitrio: tamen Scriptura, nihil plenius, nihil magnificentius existimauit, quam vnum Creatorem, vnum Mediatorem: cur non etiam vnum in quo tantum ponatur hæc iustitia? Inde autem proderet se in immensum gloriam Dei, gloriam Christi, quod quæ iustitia vna in vno est, tamen imputetur plurimis ad salutem. Sic enim Paulus ad Roman. 5. *Per vnius obedientiam iusti constituentur multi.*

XLV. Probatur idem quarto. Cum illa vnius Christi iustitia, eadem sit formalis omnium nostrum iustitia, & res qua cæteri iustificamur, & adoptamur in filios: certè excogitari non poterat, quæ minus propria Christi esset. Cum tamen conceptionem ex Virgine illi propriam fateamur, & ipsum pro nobis mortuum esse, surrexisse, & ascendisse in cælum propria virtute: & tamen iustitiam non ipsius solam, sed nostram fateamur, non per solam participationem illius, ut veritas Catholica habet, sed per imputationem, nostram essentialem faciunt iustitiam: quod certè parum est Christo honorificum, & gloriosum.

XLVI. Descripti ad verbum hoc orationis monstrum, hiulecum, imperfectum, ut si ita scriptum sit ab autore, omnino necesse sit non fuisse apud se. Infantiam rideant alij. Ego reliqua examinem. *Qua minus, inquit, propria Christi esset.* Hoc vero quid est? An Christi non esse propriam iustitiam, quæ nobis imputatur? Ridiculè. Nam proprietatis, in hærentiæ est, efficacia imputatio: nec pugnant in hærentia & efficacia. Imo ea iustitia propterea nobis imputatur, quia Christo est propria: nam si nobis esset cum illo communis per in hærentiam, quomodo imputaretur? Rectè ille mortem, resurrectionemque asserit Christo propriam: & tamen hæc ipsæ nobis per imputationem communicantur: nam & mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem, ad Romanos quarto. Itaque hac imputatione, nihil esse potest Christo magis honorificum, aut gloriosum. Formalem nostram iustitiam, essentialem nostram iustitiam, phrasæ sunt non nostræ: sed calumniatorum.

XLVII. Probatur rursus, quinto. Cum Dei iustitia vni tantum inquit, & tamen omnibus in eadem forma communis esse statuat, & per solam fidem imputetur nobis, profecto non poterat tenuiori modo, & ratione exiliori nobis adscribi, ut ita & Christo, & nobis permultam auferant iustitiæ veritatem de cordibus, solam imputationem relinquentes, cum verius & gloriosius doceant Papistæ, propter Christi meritum, & obedientiam, aliam à Deo nobis donari, per quam iusti sumus, & nouæ creaturæ efficiamur.

XLVIII. Sed illud, *Omnibus in eadem forma communis,* quid monstrum est? Nos eam phrasin hæcenus nunquam auribus usurpauimus: & ne nunc quidem mente assequimur. Certè absurdissimum est, quæ iustitia nostra non sit nisi per imputationem, Christi autem per in hærentiam, eam Christo nobisque communem dicere in eadem forma. Sed Iesuitarum scilicet industriæ facile est iungere gryphes equis. Rursus, de sola imputatione iustitiæ, sæpe dictum, fieri nobis iniuriam, cum agnoscamus etiam in hærentem sanctificationem: sed illam huius causam, imo totius salutaris æconomix. Vnde necesse est nos Papistarum magnificentiam longe excellere, qui quicquid illi possunt sanctificationis tribuere fidelibus, æquè agnoscamus: & tamen amplius, longe augustiorem iustitiam imputatam: cum illi in priore subsistant, quæ, cum posteriore comparata, non potest non esse tenuissima, & exilissima, utpote imperfectissima.

XLIX. Obiectio decima quinta. Omnis iustitia Christianorum est iustitia fidei. At iustitia imputatiua, non est iustitia fidei. Ergo neque iustitia Christianorum. Probatur maior, ad Romanos quarto, vbi dicitur Abraham accepisse signaculum iustitiæ fidei. Probatur minor, quia hæc iustitia est in Christo, in quo non est fides. Fides autem est in nobis, in quibus non est iustitia. Quomodo nec iustitia cum fide, nec fides cum iustitia cohæret: sed altera toto subiecto differt ab altera.

L. Negatur assumptio. Nam Paulus eodem capite, quam iustitiam fidei vocat, eandem agnoscit imputatiuam, disertis verbis, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei pro iustitia.* Tum autem, quæ iustitia est in hærentem, eadem est ex operibus: at hanc ille negat esse ex operibus. *Ei qui non operatur, sed cre-*

sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia. Ergo idem Paulus negat, iustitiam fidei esse inherenterem: unde necesse est esse imputatam.

L I. Concedo, in Christo non fuisse eiusmodi fidem. Concedo, in Christo esse iustitiam quæ nobis imputatur. Concedo, in nobis esse fidem. Concedo denique, in nobis non esse iustitiam quæ imputatur. Sed non esse hanc iustitiam fidei, constanter nego. Nimirum fallit æquiuocatione Sophista. Quia Christus fidem non habuit, recte concludas, non fuisse in Christo iustitiam imputatiue: quod nemo negat. Et quia fides est in nobis, recte inferas, non esse in nobis iustitiam inherenterem. Sed non esse iustitiam imputatiue in nobis, solus negat Papiſta: cui solenne est, manifestissima quæque negare. Sed nulli cauilli possunt efficere, vt non optime conueniat iustitiæ, & fidei.

L II. Obiectio decima sexta à Salmerone est. Hoc dogma de imputata iustitia pugnat cum alijs Catholicorum dogmatibus. Nam hi Sanctos negant pro nobis intercedere, ne vllam officij mediatoris partem illis tribuant, qui tamen nunc totam mediatoris iustitiam singulis fidelibus per fidem tribuunt, nec verentur in eo peccare: & qui horrent dicere, Sanctos pro nobis orare, non tamen horrent seruos Domini sui gloriam vsurpare.

L III. Sed falsum est, vllam in eo contradictionem esse: qui enim iusti sunt per imputationem, iidem non possunt apud Deum intercedere pro nobis, Mediatoris iure. Neque verum, qui imputatiue sunt iusti, eosdem Domini sui gloriam vsurpare. Non enim Dominus imputatiue vnquam fuit iustus. Sed Iesuitarum. Spiritus *μορμολοκικωι γίμοι.*

L IV. Obiectio decima septima eiusdem: Superflue ponitur hæc iustitia imputata, cum satis sit inherens, & decentius res fiat per vnã formam. Quin etiam in Scripturis per has duas iustitias dicimur iustificari, sed non vno & simplici modo: sed inherente, vt forma: imputata vero Christi, longe alio excellentiori sensu: est enim causa meritoria.

L V. Atqui negabat apud Ælöpum Satyrus, cum eo habendum commercium, qui ex eodem ore calidum efflaret & frigidum. Quid ergo ad Theologos Salmero, qui & superflue ponit iustitiam imputatam: & tamen vtraque in Scripturis dicit nos iustificari? Nam quid ad me, id quod nuga-

tur de vna, aut diuersis formis. Non enim nostra ea Theologia est, sed Papiſticum nugamentum. Scimus iustitiam Christi agere tanquam causam meritoriam: sed negamus, nobis posse quicquam mereri, nisi imputeretur. Quomodo enim potest, si nullo modo nostra sit? Non potest autem nisi vel per inherenteriam, vel per imputationem. Per inherenteriam nostram esse quis potuit somnare? Ergo per imputationem oportet.

L VI. Obiectio decima octaua eiusdem: Si iustitia imputata ex parte supplet vires inherenteris iustitiæ: quid impedit quominus dicamus, illam imputari ad supplendos omnes gradus eius, ita vt inherente non sit opus? Quod si omnes supplet defectus inherenteris, clarum est, quod vltra vires inherenteris tenderet eam supplendo: non ergo esset ratio diuersarum mansionum, sed omnes pares essent in gloria, quod est absurdum.

L VII. Quid hoc est, ex parte supplet vires inherenteris? Aut quis nostrum sic loquutus? Nos potius in vniuersum dicimus: sed inherenterem, non eam quæ inheret, sed quæ inherere debuit. Non enim adeo desipimus, vt iustitiam nostram putemus ex parte mereri apud Deum, id est, iustificare nos: reliquum autem petendum esse à iustitia Christi. Absit hoc monstri ab omnibus sanis. Sed dicimus, eo quod simus peccatores, nullam nobis inherere iustitiam, per quam placere Deo queamus. Itaque Deum nobis imputare iustitiam Filij sui, per quam, vt pote omnibus modis absolutam, imperfectamque, placeamus. Vere ergo nostra sententia est, hanc supplere omnes gradus, eius quæ nobis inesse debuit. Et tamen absurda conclusio est, hanc esse superfluum: quomodo enim superflua, quæ nulla est? Breuiter, ita se res habet. Iustitia inherens vel perfecta est, vel inchoata. Perfectam suppleri per imputatam agnoscimus: sed absurde superfluum dici contendimus. Inchoatam autem concedimus nobis inesse: sed superfluum negamus: quia eius defectum non impleat imputata.

L VIII. Quod de mansionum diuersarum rationibus additur: æquè ineptum. Diuersitas enim non pendet inde, sed à mera Dei voluntate, conferentis diuersos gloriæ gradus, prout vult, etiam ijs in quibus cætera sunt paria: vel etiam eosdem, ijs in quibus imparia: vt docuit operariorum parabola. Et Matthæi 20. *Sedere ad dextram meam & sinistram meam, non est meum dare, sed dabitur ijs, quibus paratum est à Patre meo.*

FINIS LIBRI VIGESIMIPRIMI.

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

De

SOLA FIDE IUSTIFICANTE.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS, DE SOLA FIDE.



VI per imputationem iustitiæ Christi statuunt hominem iustificari, iidem docent, non tantum fide iustificari, quod Papiſta non aufint negare: sed etiam sola fide iustificari. Vnde rursus nata magna controuersia, cui hic locus assignatus.

II. Tractarunt Catholici, tū quicumque in præcedenti quæstione occuparunt sese: tum vero peculiariter, Bulingerus Decadis 1. sermon. 6. & in Institution. quæst. 20. Beza contra duos Apostatas cap. 2. Piscator de iustificatione lib. 1. cap. 8. Paræus in 3. ad Romanos: & contra librum primum Bellarmini de Iustificatione, cap. 12. ac sequent. Ioannes Scharpius de Iustificatione quæst. 7. Kuclinus in disputationibus Theologicis, Polanus Syntagmatis lib. 6. Pezelius p. 4. obiectio. & responſion. Theologic. capite de vero intellectu propositionis, Fide iustificatur: & alio, de exclusiua particula, Sola fide: & tertio, de vero atque natiuo intellectu exclusiuarum. Martyr locorum communium classe 3. c. 4. Riuetus summæ controuersiarum tract. 4. q. 10.

III. Tractarunt Papiſtae longè plures. Hofius Confessionis cap. 60. Driedo como 2. tractat. 4. cap. 1. Viruesius Philippicis, 4. 5. 6. 7. 8. Pighius controuers. 2. Ioannes Faber contra Pacimontanum cap. 9. Sonnius demonstrationum lib. 1. tractatu 2. cap. 10. Sanderus de Iustificatione lib. 4. Arboreus Theosophiæ lib. 1. cap. 19: & libr. 6. cap. 3. Panigarolla lectio. 9. Dominicus à Soto de natura & gratia lib. 2. cap. 5. & 12. Alphonsus de Castro de fide, hæresi 2. Latomus contra Tindallum. Feuardentius Theomachia lib. 8. cap. 5. Lizetus de mobilibus Ecclesiæ præceptionibus lib. 4. cap. 2. & sequent. Tapperus art. 8. Launæus & Panneterius declarationis lib. 1. c. 2. Cochlaeus in Confession. Aug. art. 4. 5. & 6. Becanus de iustificatione Calvinistarum c. 6. Costerus Enchiridij c. 6. Turrianus pro Epistolis, lib. 4. c. 4. 5. 9. Bellarminus de Iustificatione, lib. 1. c. 12. & deinceps. Salmero in Epistolam ad Galat. disp. 5. & seqq. Andræus Orthodox. explication. lib. 6. Pererius in Genesin. c. 15. Valsq. in 1. 2. disp. 210. Cornelius Scultingius Bibliothecæ Catholicæ tom. 2. contra c. 11. lib. 3. institutionis Christianæ. Greg. de Valentia lib. de diuina gratia, p. 2. c. 1. Bunderius Compendij tit. 4. qui de fide est, & operibus. Klingius locorum communium lib. 2. tribus primis c. Bailius Catechismi p. 4. 10. Bouerius demonstrationum tom. 2. in 2. Symbolo c. 5.

IV. Hominem fide iustificari vtrique est in confesso; adeo enim disertè Scripturæ docent, vt & nos aperte semper profiteamur: & Papiſtae sibi cla-

ment iniuriam fieri, si quis dicat negare. Eckius, *Omnes Theologi, quantumuis Orthodoxi & Catholici, vltro concedunt hominem iustificari fide.* Veruntamen huic verborum sono longè longeque alius sensus inest apud Catholicos, alius apud Papiſtas: qui varijs suis strophis, distinctionibus, limitationibus, exceptionibus, effecerunt, vt in statu constituendo non sit nullus labor.

V. Primum, suo more, iustificationem nullam aut possunt, aut volunt concipere, præter inherenterem, quæ consistat in hominis inuolutione, transeuntis à peccato ad iustitiam actiualem; quam nos significamus potius sanctificationis nomine: prout explicatum est præcedenti disputatione. Postea, hanc ipsam distinguunt in primam & secundam. Illam, continere initia eius inuolutionis, scilicet, cum primulum ex peccatore fit iustus: altera vero, reliquos eiusdem inuolutionis progressus, subsequentes ea initia, nimirum, cum ex iusto fit iustus. Dicentes ergo hominem iustificari fide, de priore iustificatione cauent intelligendum: atque in eo esse hanc vniuersam controuersiam. Costerus in eum modum definiuit.

VI. Eam iustificationem meritis nullis vnquam acquiri: *Causa meritoria iustificationis impij, Costerus inquit, nulla prorsus est vel in ipso impio, vel in vllis alijs seu vinentibus hominibus, seu Sanctis in celo cum Christo regnantibus: quia nulla omnino creatura opera, nulla penitentia, nulla martyria, nulla poena, nulla virtus potest mereri cuiquam peccatori remissionem peccatorum suorum.* Quidam tamen mereri concedunt; sed eo genere meriti, quod appellant de congruo, quod nobis alias est excussum.

VII. Tantum ergo, hominem præparari ad hanc iustificationem. Solere enim in mutationibus naturalibus antecedere quædam, quæ subiectum præparent ad formam, quæ inducenda sit, suscipiendam: sic tabulam, priusquam colore inficiatur, poliri, atque aptari, certoque loco ad pictoris manum constitui: aquam calefaciendam ex flumine hauriri, cacabo infundi, igni admo-ueri. Pari modo antè hominis iustificationem præcedere nonnulla, quæ tamen ipsam neque efficiant, neque mereantur, aptent tamen hominis animum ad iustitiæ infusionem. Verba sunt à Costero descripta: à quibus non abit Salmero, *Sicut in naturalibus, inquit, forma non infunduntur subiecto, aut materia, nisi illa disposita, & propinqua agenti: nec enim ignis lignum incendere possit, nisi tollerentur humiditates igni contrariæ, & propinquum sibi redderet: nec medicina nisi in recte disposito operabitur sanitatem. Ita in iustificationis forma, sed ad quam omnis homo ex se indispotus inuenitur, quia peccator est, & filius ira, opus est ea hominem operari, per qua duritiem suam & indispotum auferat.*

VIII. Has præparationes duam esse generum Costerus ponit. Alias enim à solo Deo esse, sine nobis: alias vero à Deo simul & nobis. Illas vel externas esse, vel internas. Externas, scilicet occasiones varias, quas Deus immittit nihil minus opinantibus: sic Paulum cælesti fulmine (fulgorem puo